



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXIII. De Privilegiis, & Excessibus privilegiatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & excessibus privilegiatorum.

CAPUT I.

Leo Papa.



ILLUD sanè, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta servari: ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & ubi antè non fuerunt, Episcopi consecrentur: cum ubi minores sunt plebes, minoresque Conventus, Presbyterorum cura sufficiat: Episcopalia autem gubernacula non nisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præsidere; nè si, quod Sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta veterant, viculis, & possessionibus, vel obscuris, & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium & honor, cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua Diocesi Restitutus Episcopus factum esse causatus est, & rationabiliter postulavit, ut si Episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humanà conditione decesserint, loca ipsa ad jus Antistitis redigantur, cujus fuerant antè priora: quia inutile est, ut sacerdotalis dignitas inconsideratà ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur.

NOTÆ.

1. a [EO.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 1. & textus hic citatur ex ipso Leone à Burchardo lib. 1. decreti, cap. 32. Carnoteali, p. 3. Decreti, cap. 143. Gratiano in cap. illud, 80. dist. & reperitur inter opera ipsius Sancti Doctoris epist. 87. ad Episcopos African. per Mauritaniam Cesarensem constitutos, cap. 2. ex qua textum hunc transcribo. De ipso sancto Pontifice nonnulla adduxi in cap. 3. de majorit. & obed. nescio tamen, quare Compilatores præsentem textum sub titulo de privilegiis, aut excessibus privilegiatorum nec verbum reperiantur.

tores, qui circumveant, constat. Et in cap. non debere, 80. dist. Carthag. 2. can. 5. Ut Dioceses, qua Episcopi nunquam habuerint, non habeant, nisi accedente tempore, crescente fide, multiplicatus Dei populus desideraverit proprium habere Rectorem. Carthag. 1. can. 42. Tolet. 12. can. 4. Ut in locum villula supra dicta. Agnis deinceps Sedes Episcopalis non maneat, nec Episcopus illic ultra consitruatur. Gregorius Magnus ad August. Anglorum Episcopum, ibi: Menor quod in sacris Canonibus præcipitur, ut minimò in villulis, vel modicis Civitatibus ordinentur Episcopi. Innocent. III. lib. 14. regestr. 149. Illustrant ultra congestos à Barboza in præsentis, Hallierius de Episcoporum necessitate lib. 2. epist. 3. Balsamon in dict. can. 6. Concil. Sardinie. Lemaitre lib. 2. de jur. Episc. cap. 12. & de Episcoporum institutione, Solorzanus lib. 4. polit. cap. 5. & tom. 2. lib. 3. cap. 5. Jul. Laur. variar. lucubr. tit. 4. de elect. cap. 1. Petrus Gregor. de benef. c. 14. Idem Petrus Gregor. lib. 1. de republ. c. 1. Rodericus Caro in antiquit. Hispal. cap. 13. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 5. Claudius Espenetus in epist. 1. ad Turum, cap. 1. digress. 1. Turrianus pro Canonibus Apostolorum lib. 2. cap. 16. & lib. 3. cap. 8. Cellotius lib. 4. de hierarch. cap. 12. §. final. Fances de Eccles. Cathedr. cap. 4. per tot. Dartis ad dist. 101. Isidorus Molcon. de Majest. Eccles. 1. p. cap. 15. Desiderius Herald. de auctorit. rei judic. lib. 2. cap. 15. Hallierus in vindictis Sorbon. lib. 2. cap. 2. fol. 227. Christ. Lupus in can. 6. Concilii Sardinie.

COMMENTARIUM.

2. EX præsentem textu sequens communiter deducitur assertio: Cathedra Episcopalis non in vicis, aut pagis, sed in Civitatibus, & majoribus populis poni debet. Probant eam textus in cap. Episcopi, & per totam 80. dist. cap. andrimum 3. qu. 2. cap. in illis, 90. dist. c. Felix 16. q. 1. D. Clemens epist. 1. ibi: Hoc tamen proviso, ne in villis, castellis, modicisve civitatibus instituerentur, ne nomen eorum vile fieret. Synodus Sardicenf. can. 6. Licentia verò danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica aliqua civitate, cui sufficiat unus Presbyter, quia non est necesse Episcopum fieri ne vilescat nomen, & Episcopi auctoritas. Et epist. 3. Concil. Francofordense can. 22. Quod non oporteat in villis, nec in vicis Episcopos ordinari. D. Gregorius Nazianzen. orat. 20. in laudem D. Basil. Synodus Laodic. can. 57. Quod non oportet in villis, vicis, aut agris Episcopos ordinari, sed visita-

Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Ad commodiorem populorum instructionem, & disciplinam longè congruentius est, ut cuilibet Ecclesie etiam in vico, aut

Traditur ratio dubiam aut

aut pago constructæ Episcopus præficiatur; cum ita melius, ac facilius fideles instrui. ac mylteris fidei imbui possint: & ita quamlibet Ecclesiam suo pastori adherere debere docuit D. Cyprianus *epist. 69. ibi: Sacerdoti plebs adunata, & patri suo grex adherens.* Quam Episcoporum necessitatem, & utilitatem agnoscentes veteres Ecclesie Patres, etiam in pagis, & oppidulis Episcopos constituiebant, ut refert Sozomenus *lib. 7. cap. 9. ibi: Per Scythiam cum civitates sint multe, unum dumtaxat hæc omnes Episcopum habent: apud alias vero nationes reperies contrarium, ubi & in pagis Episcopi ordinantur, sicut apud Arabes, & Cyprios ego comperi, & apud Novatianos, ac Montanistas eos, qui dogunt in Phrygia.* Quare Sinesius *epist. 67.* meminit Episcoporum creatorem in vicis Pallerbisæ, & Hydræ: & ait se ad eos accessisse, ut persuaderet quatenus de eligendo Episcopo deliberarent. Et *epist. 76.* scribit Olviastis vicis cuiusdam in colis Episcopi creatione opus fuisse. Innumera etiam exempla prostant Episcoporum in vicis ordinatorum: Sabinensis, & Portuensis Episcopi prope Romam, unam, aut alteram domum sui Episcopatus habent; idque facilius patebit percurrenti Conciliorum subscriptiones. In Concilio Arelatensi 1. subscribit Gregorius Episcopus de loco, qui est in portu Romæ: locum verò istum sine nomine fuisse civitatem nobilem nemo cogitavit: ergo quia in pagis, & oppidulis licet Cathedras Episcopales erigere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam non solum in vicis, & pagis, verum & absque ullis locis consecrari Episcopos legimus, de quibus in Concilio Vernenli *can. 13.* cavetur. De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus de ordinatione eorum qualis fuit, placuit iuxta instituta sanctorum Patrum, ut in alterius parochia ministrare, nec ullam administrationem facere debeant sine Episcopi (cujus est parochia) iussione. Idem habetur in Concilio Carthag. 2. *can. 2. Carthag. 3. can. 20.* Quare in Concilio Matifcon. 2. subscripserunt Episcopi sedes non habentes; & hos Episcopos Scotos appellant Patres Concilii Cabilon. 2. *can. 43.* cujus nomenclaturæ rationem illustrat Ciron. *lib. 1. obs. cap. 13.* quare in canone 6. Concilii Valent. Hisp. cavetur, ne quispiam ordinetur Episcopus, qui prius se localem futurum fore non promittat.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præiens assertio, pro cujus expositione sciendum est, ex dispositione Anaclerti cautum fuisse, ut in locis, ubi apud Gentiles erant Primates Flaminum, Patriar hæc constituerentur; ubi Archiflaminæ erant, Archiepiscopi ordinarentur, *cap. 1. 99. dist. cap. in illis 2. 80. dist.* & ita juxta civilem, & politicam gubernationem Metropoles, & diocæses erigebantur: quod & cautum fuit in Concilio Chalcedon. *can. 17. ibi: Ut si civitas aliqua à Principe innovata fuerit, civiles, & publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.* Synodus 6. Trul. *can. 38.* latè probat Frances de Ecclesiæ Cathedral. *cap. 1.* immò & Apostolos ipsos orbem ecclesiasticum in provincias distribuissè ad exemplum dispositionis civilis, quæ per illas tempestates vigeabat in imperio, doctè probat P. Marcha *lib. 6. concord. cap. 1.* Non tamen adeo rigida fuit hæc disciplina Ecclesiæ, ut nunquam in minoribus pagis Episcopi ponerentur. Plerumque enim legem hæc infregit privata regionum, ac provinciarum

D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. V.

consuetudo; nam cum ampliores erant Episcopatus, quàm ut eis Episcopi unius in ampla civitate degentis cura sufficere posset, nullam urbium dignitatis habeant rationem, satius putantes in oppidis, ac vicis Episcopum constitui, quàm Episcopali sollicitudine destitui. Nec non auctoritas Principum sæcularium plurimum in hoc prævaluit. Sic Phædimus Amasæ Metropolitanus, Neocæsareæ urbi, in qua decem & septem fidelium, non amplior, erat numerus, Gregorium Thaumaturgum primarium constituit Episcopum, auctore Gregorio Nysseno in *vita Thaumaturgi.* Similiter divisâ in duas provincias Capadociâ Valentis imperio, Basil. Cæsarensis Metropolitanus, ut quodam modo damnum faceret. Salsimorum Ecclesiam erexit in Cathedralam, & Gregorium Nazianzenum in ea Episcopum ordinavit, ut testatur ipse Nazianz. *orat. 20.* & refert Gregorius presbyter in *ejus vita.* Qualis autem esset Salsimorum locus, Gregorius ipse describit carmine de vita sua:

*In regia medio via est vicus situs
Qui scindit in tres se vias, lymphis carens.*

Quamplurimos quoque in Africa, & in Ponticis regionibus Episcopos exiguorum oppidorum constitutos olim fuisse antiqua monumenta produnt: & certè Joannes XXI. in extravaganti *Salvator*, extravaganti *Nuper. de præbendis & dignit.* ob amplitudinem Tolosani Episcopatus alias Episcopales sedes crexit in villis Laberens, sancti Pauli, aliisque exiguis oppidis, ut referentes ipsorum Episcopatum historiam tradunt Fratres Sarmath. *tom. 2. & 3. Gal. Christ.* Etiam Principes sæculares sæpius in vicis, & oppidis Episcopos constitui curarunt. Undè cum Stephanus olim Emeritensis Episcopus jussu Ubambæ Regis Gothorum motus in suburbio Toletano in Ecclesia Prætorienli Episcopum præter morem & consuetudinem Ecclesiæ instituisset, pœnitentiâ ductus Patres Concilii Tolet. 12. cum lachrymis adortus est, veniamque labefactæ disciplinæ precatus: quod factum Patres improbarunt, ac submovendos censuerunt Episcopos non modò ab eo suburbio, verum ab aliis quoque obscuris, ac ignobilibus locis, in quibus per voluntatem Ubambæ Regis fuerant instituti. Et ita Patres sanxerunt. *Et idè, quia indiscretò, & facillimo assensu injustis Ubambæ Principis iussionibus parens novam, & injustam illic Pontificalem Sedis prælectionem induxerit, ubi canonica institutio id fieri omni ratione refellit; prædictus idem vir prostratus humo, medicamine nostri præcepti, & sibi dari veniam petiit, & quid potissimum oporteret fieri de persona ejus, qui illis ordinatus fuerat, nostri oris sententiâ decernendum poposcit.* Et quibusdam verbis interjectis, quibus proferuntur in medium veterum Patrum, ac Conciliorum sententiæ de majestate & nobilitate Sedis Episcopalis, tandem Patres ita concludunt: *Ut in locum villule supradictæ Aquis deinceps Sedis Episcopalis non maneat, nec Episcopus illic ultra constituendus existat.* Hic tamen Cuniuldus, qui contra majorum decreta illic videtur institutus fuisse Episcopus, nullis canonum erit ad condemnationem sui sententiis ulciscendus: quia non ambitione, sed Principis impulsione illic constitutus ordinatus; & idè illi hoc remediū humanitatis concedimus, ut in Sede alia decedenti cuiuslibet Episcopi transfundatur, & prædictus locus sub monastica deinceps institutione mansurus, non Episcopali ultra

privilegio fretus; sed sub Abbatis regimine, sicut hucusque fuit, omni modis omnibus mancipandus. Similiter cum in Castro Dunensi, qui vicus est in Diœcesi Carnotina, Aegidius Episcopus Rhenensis ordinaret Episcopum Promotum, conqueustus fuit in Concilio Parisiensi 4. Pappolus Episcopus Carnotensis; & Patres ita decreverunt: Dominus Pappolus Episcopus mediocritati nostre detulit in querelam, in Castro Dunensi, parocchia denique Carnotina, quod castrum nec ad territorium civitatis vestre, nec ad vestram provinciam manifestum est pertinere, à vobis contra omnem rationem, & contra canonicam disciplinam Episcopum consecratum. Et licet secundum priscam beatissimorum Patrum decreta potius huiusmodi excessus in vestra injuria acerbius coerceri; sed nos charitatis jura servantes, beatitudini vestre indicamus, ut presbyterum ipsum nomine Promotum, qui omnia severitate canonicâ à vobis dicitur tam temerè consecratum, ut iusto debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut canonum constituta sanxerunt, ad vos evocetis, vel vobiscum retineatis, ut injuriam nec Ecclesia, nec sacerdoti suo ulterius debeat irrogare. Refert P. Marcha part. 1. concord. lib. 2. cap. 9. qui lib. 4. cap. 13. probat novam creationem Episcopatus fieri posse à Pontifice ex consensu Principis secularis; & plura de erectione Ecclesie in Cathedrali, aut Metropolim tradunt Dart. ad dist. ult. Solorzanus tom. 2. de jure Ind. lib. 3. cap. 4. num. 1.

5. *Traditio decidendi.* Ratio autem cur tot sacris canonibus cautum sit, ne in vicis, & pagis Episcopi constituantur, assignatur à B. Leone in præsentibus, ne videlicet vilescat Episcopalis dignitas propter locorum ignobilitatem, & ut loci maiestate informati docerentur homines, de Episcoporum gradu, ac infulis magnificè semper cogitare. Accedit, nam in civitatibus frequenter plures sunt presbyteri, qui ut Consilarii adesse possint Episcopo in negotiis arduis. Item propter celebritatem urbis facile adiri posset Episcopus, ut sic cut ad celebriorem urbem omnes vicos, villulas, oppida iudiciorum, mercaturæ, & aliorum negotiorum causâ convenire oportet; ita & religionis gratiâ commodè concurrerent. Accedit, nam nemo lucernam ponit sub modio, sed super candelabrum: ideo dignitatum ecclesiasticarum culmen, lucem humani generis, faciem religionis, ac pietatis oportuit loco nobili, excelso, & illustri consistere: unde ne assiduitate, si passim constituerentur Episcopi, eorum dignitas vilesceret, quæ in summa veneratione apud fideles debet esse; ideo in præsentibus, & tot canonibus statuitur, ne in vicis, & pagis, sed in civitatibus, & locis populosis Episcopi ordinentur.

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio supra expensa ex epistola 69. D. Cypriani, cuius auctoritate motus Doctor Kelionius extimavit, dari non posse Ecclesiam particularem sine Episcopo: quem doctè refellit Nicolaus Smithus in discussione aliquarum assertionum ipsius Doctoris. Nec illi favet D. Cyprianus, qui responderi potest, D. Cyprianum non definire plebem adunatam esse Ecclesiam, & gregem adherentem particulari sacerdoti, ac Pastori; sed indefinitè sacerdoti, & Pastori: quod tam diu in nos quadrabit, quam diu Episcopum, & Pastorem nostrum agnovimus Romanum Pontificem. Quid quod S. Cyprianus loquatur de ordinariis Pastoribus

potestatem habentibus in loca, & personas, catholicos, & hæreticos permanentes, & non solum ad beneplacitum? unde conficitur, eius definitionem non comperere delegato, sed adhuc necessarium nobis erit immediatum, & ordinarium nostrum Pastorem retinere Summum Pontificem. Cæterum ut quæ Cypriani verbis subfist sententia, aperiatur, prænotandum est, dictam epistolam scriptam fuisse ad quemdam Florinum, sive Florentium, cognomento Pupianum, qui ut advertit Pamel. in suis ad illam epistolam annotationibus, hæreticus erat à secta Novati, & pernicautam, credulamque nimis temeritatem, confictis adversus B. Cyprianum criminibus, fidem commodaverat, ob quæ meritò deferendum à grege suo sanctum, perinde ac si verus eorum non fuisset Episcopus, autumabat. Contra hanc fallam & seditiosam calumniam probat, non ille quidem Ecclesiam Episcopo destitutam non esse particularem Ecclesiam, sed Ecclesiam, cui verus, & legitimus præsit Episcopus; dividendam se tamen, & per schisma ab illo decedentem, reverà Ecclesiam omnino non esse, sed schismaticam congregationem. Quod hoc ita se habeat, ipsa Cypriani verba augmento sunt; cum enim ex sacra pagina, Ioannis cap. 6. citasset: Nos credimus, & cognovimus, quia tu es filius Dei vivi; ad it: Loquitur illic Petrus, super quem aedificata fuit Ecclesia, Ecclesia nomine docens, & ostendens, quia etsi contumax, ac superba obedire nolentium multitudine discendat, Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plebs tanquam sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adherens. Unde scire debet Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, nec divisa, sed sit utique connexa, & coherentium sibi invicem sacerdotum glutine copulata. Manet ergo D. Cyprianum non asserere, dari non posse Ecclesiam particularem absque Episcopo, & per consequens in vicis, & minoribus civitatibus eos non esse necessarios, nec constitui debere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, quia verum est, olim ex causis supra relatis nunquam Episcopos constitutos fuisse in locis, & pagis minus populosis: quod postea variis canonibus prohibitum fuit, ut probatum manet.

Sed supra traditis obstat textus in canone 10. Concilii Antioch. in illis verbis: Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi sint consecrati, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subiectas sibi Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint. Ordinent etiam lectores, & subdiaconos, atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Ex quibus verbis deducitur, in vicis, & pagis Episcopos constitui posse. Ergo non rectè in præsentibus asseritur, tantum in civitatibus, & maioribus populis Episcopos ordinari debere. Pro cuius canonis expositione examinandum venit, utrum Chorepiscopi, qui olim in vicis, & pagis consecrabantur, quorum quæ mentio fit in Concil. Nicano, can. 4. Neocæsar. can. 13. Ancyr. cap. 11. Rhegensi can. 3. Hispanensi 2. c. 7. Metensi sub Stephano VI. can. 5. Meldensi can. 4. Parisiensi can. 27.

cap. 1. dist. 68. cap. 1. dist. 69. essent veri Episcopi, an verò tantum presbyteri. Et eos verò Episcopos fuisse, probatur primò ex dicto canone 10. Concilii Antioch. & ex Concilio Ancyran. celebrato anno 314. can. 12. Meldensi can. 44. ubi illis permittitur ordinare lectores, & subdiaconos, cum hoc proprium sit Episcoporum, ut probavi in cap. 3. de comparibus ordin. & ex canone 2. Concilii Barchinon. 2. sub Recharedo : Felice IV. relato in cap. tabernaculum 2. cap. sicut 11. de consecr. dist. 1. ubi etiam refertur, licuisse Chorepiscopis Ecclesias consecrare; quod munus proprium est Episcoporum, cap. aquam, ubi probavi de consecr. Eccles. Deinde idem suadet ex dicto Concilio Antiocheno can. 8. ubi cavetur, ne presbyteri, qui sunt in agris, litteras canonicas dare possint, Chorepiscopi verò irreprehensibiles illas dare valeant. Ex quibus deducitur, ditcrimen versari inter presbyteros, & Chorepiscopos, quod nullum aliud esse potest, nisi quod Chorepiscopi essent veri Episcopi; unde Episcopi villani appellantur lib. 1. capitul. cap. 9. & lib. 5. cap. 168. & sequenti. Facit tandem pro hac sententia Nicolaus I. in quadam epistola ad Rodolphum Archiepiscopum Bituric. relatus ab Hincemaro Rhenensi ad calcem suorum opuscul. pag. 716. ubi cap. 1. Pontifex ita scribit: Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum effectas, quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denno consecrant. Nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec illas debere fieri reordinationes reiterationis consecrationis. Ergo Chorepiscopi, ut veri Episcopi ordinis conferre valeant.

Contrarium verò, immò Chorepiscopos presbyteros honorabiliores, & primi gradus fuisse, non verò Episcopos, probatur ex epistolis 4. aliis 5. Damasi de Chorepiscopis, & 85. sive 88. Leonis: ex quibus commentaria alia epistola compacta, & Joanni III. adscripta extat tom. 3. Concil. editionis Severini Bini; illarumque fragmenta habentur apud Gratianum in cap. quamvis 4. cum sequent. 68. dist. cap. per illicitam 39. quest. 1. cap. per illicitam 25. 1. quest. 7. cap. si Petrus 8. quest. 1. Idem probatur ex Gelasio I. epist. 9. ad Episcopos Lusitania, §. nec minus; junctis Concilio Neocæsar can. 13. Nicæno 1. can. 8. Chorepiscopi presbyteri appellantur ordinari in locum 70. seniorum. Secundò idem probatur ex eo, quia illis prohibetur munia Episcopalia obire in Concilio Regensi can. 3. Hispalensi 2. can. 7. Parisiensi sub Gregorio IV. & Ludovico can. 27. Meldensi sub Sergio 2. can. 44. Metensi sub Arnulpho can. 5. epistola Montani Episcopi post Concil. Tolet. 2. in capitul. Caroli lib. 1. cap. 9. & lib. 5. cap. 268. & lib. 6. cap. 119. & 284. & lib. 7. cap. 187. cap. 310. 318. & 328. apud Pacianum serm. de baptismo, & epist. 5. ad Symmachum. Quibus auctoritatibus moti hanc sententiam tenuerunt Ayala de tradit. Eccles. 3. part. considerat. 4. Turrianus ad can. 54. Concilii Nicæni. Crespentinus in summa, verbo Chorepiscopi, Lindembrog. in Glossar. eod. verbo, Vazquez 3. part. in 3. part. disput. 238. cap. 4. num. 67. Henriquez in summa lib. 10. cap. 23. §. 2. Barbof. in cap. quamvis 4. num. 6. 68. dist. & lib. 1. juris eccles. cap. 15. & 16. & de potest. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 6. num. 22. Cironius ad tit. de offic. Archiepisc. Landtmeter. de veteri clerico lib. 2. cap. 97. §. ordinant. Morinus lib. 1. exercit. Eccles. cap. 11. Joannes Caballutius in notitia Concil. in Concil. Ancyran. 1. fol. 31. Unde in Concilio Augustano sub D. D. Gonzalez. in Decretal. Tom. V.

Paulo III. cap. 7. in princip. Græcorum Chorepiscopi comparantur nostris Archidiaconis, sive Archipresbyteris, ut apud Sigebertum in chron. anno 384. & dioceseon visitatores dicuntur in Concil. Laodic. can. 57. Vicarii Episcoporum in capitularibus Caroli lib. 7. epist. 310. & 328. & forasitici presbyteri in Concil. Brachar. 2. can. 56. post Cabassut. addit. Morin. de sacris ordin. exercit. 4. cap. 1.

In hac canonum varietate vtiorem credo sententiam eorum qui agnoverunt olim duo fuisse genera Chorepiscoporum, unum eorum, qui verè erant Episcopi in aliena diocesi commorantes absque jurisdictione Episcopali; aliud verò eorum, qui erant presbyteri tantum, tametsi utrique in vicis, & pagis curam gererent animarum, tanquam parochi, seu Vicari Episcopi constituti, propter pauperum curam, qui in agris, & villis degebant: qui propterea quasi Coepiscopi dicebantur. Concil. Nicæni. 1. can. 54. in collect. Alphonfi Pisani: quippe dictio Chore, à quo nomen Chorepiscoporum derivatur, idem significat quod Latine oppidum, seu pagum. Damalus dict. epist. 5. versic. Ad villam. Inter primos autem, & secundos magnum illud discrimen versatur, quod Chorepiscopi primà tribus Episcopis consecrabantur Concil. Antiochen. can. 10. ibi: Manus impositionem ab Episcopis susceperunt. Et cap. quamvis, in fine, 86. dist. ibi: Quamquam consecrationem habeant Pontificatus, tamen non habent apicem. Id est quamvis veri sint consecrati Episcopi, non habent diocesanam jurisdictionem. Alii autem Chorepiscopi non à tribus, sed tantum ab uno Episcopo, ut presbyteri consecrabantur. Leo Pontifex in dict. epist. 86. ibi: Omnia quoque maxima Concilia sanciunt eum non esse Episcopum; qui minus quam à tribus Episcopis auctoritate etiam Metropolitanis factus fuerit Episcopus; ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatus, quia ab uno (ut audivimus) sunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est, quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt habere. Juxta quam distinctionem facile exponuntur jura suprà relata, ita ut Concilium Antiochenum, & alii canones relati pro prima sententia procedant in primis Chorepiscopis, qui verè Episcopi erant, sed quia jurisdictionem, nec diocesim habebant, ideo consentiente Episcopo ordines conferebant, dicto can. 10. Concilii Antioch. vel eo absente Concil. Hispal. dict. can. 7. ibi: Absente Pontifice. Docuerunt Balsamon, & Zonaras in dict. can. 10. Concil. Antioch. Bellarminus lib. 1. de cleric. tom. 1. contro. cap. 17. & tom. 2. lib. 1. de sacram. Ordinis, cap. 7. ad finem, Suarez de censur. disput. 11. sect. 2. num. 7. Joannes Dartis lib. 1. de Episcop. & presbyt. cap. 7. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 174. pag. 93. & epist. 125. pag. 70. Jurerus in notis ad Carnot. epist. 240. Cellotius lib. 4. de hierarch. cap. 17. §. final. Savarus in not. ad Sidon. lib. 7. epist. 8. Hallierius de sacris elect. 2. part. sect. 5. cap. 2. §. 2. num. 10. & in vindictis fol. 221. Gibalin. de clausur. regul. disquisit. 3. cap. 2. §. 2. num. 10. Magni Præceptores, patriæque, & Academiæ nostræ decus, Illustr. D. Franc. Ramos pro Episcopat. Lusit. propos. ult. §. 5. num. 169. D. Martinus Lopez de Hontiberos in tract. de sacram. Ordinis, tract. 3. 1. part. num. 23. P. Marcha part. 1. concord. lib. 2. cap. 153. Frances de Eccles. Cathed. cap. 1. num. 128. P. Bollo in œconom. class. 5. cap. 2. §. 4. Beyerlinch.

in theatro, verbo Chorepiscop. Macedo de clav. Petri lib. 1. cap. 3. P. Laura in sua epit. verbo Chorepiscopus, Dartis de benef. sect. 1. cap. 2.

10. Secundò suprà traditæ assertioni opponi potest quædam subscriptio Concilii Chalcedon. part. 2. ubi subscribit quidam Noë Episcopus Cephæ Castellæ: ex qua subscriptione constat, Episcopum illum ordinatum fuisse in castello: ergo quia in vicis, & pagis possunt Episcopi ordinari. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, castellum in ea subscriptione significare celebre castrum aliquod, sub quo plura alia consistebant; cuius generis plura erant in Oriente. Philip. Berterius Pitha diatrib. 1. cap. 6.

11. Deinde superiori assertioni obstat textus in Concilio Sardienfi, ubi Gaudentius Episcopus dixit: *Unusquisque nostrum, qui in canali consuetus est, cum progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum, causas videat, quo tendat agnoscat; & si quidem cum invenisset ire ad comitatum, requirat & illud, quod superius comprehensum est, nisi forte invidatus, facultas eundi permittatur. si verò propter desideria, & ambitiones ad comitatum pergat, nec in literis ejus subscribatur, nec in communem recipiatur.* Ex quibus deducitur, Episcopum in canali, & ita in vico, & loco minus populoso ordinatum fuisse, & per consequens non semper in civitatibus, & majoribus locis Episcopos constitutos fuisse. Pro cuius textus expositione sciendum est, canaliam esse publica loca, per quæ cursus publicus peragebatur, l. agentes 2. Cod. Theodos. de curiosis, ibi: *Nec verò multos esse per singulas provincias iussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, & publicum cursum gubernare, ut licet in canalibus publicis hec necessitas excusetur, numerus tamen amplior esse non debeat.* Et l. mancipium 15. eod. Cod. de cursu publico: *ne sit cuiusquam tam insignis audacia, qui parangarias, aut paravedos in civitatibus ad canale debeat commovere, quo minus marmora privatorum vehiculis provinciarum appellentur.* Apuleius lib. 6. & 9. de Asino aureo: *notarunt Guther, lib. 3. de officis domus, cap. 15. Cujac lib. 15. observ. 18. Cironius*

lib. 2. obser. cap. 14. Unde Episcopi in canali constituti in dicto canone Concilii Sardic. dicuntur qui sedes habebant in cursu publico, via videlicet quæ equi publici dispositi erant per stationes singulas ad iter faciendum, de quibus Athanasius apolog. 2 postquam enumeravit Episcopos, qui ex Hispania, Gallia, & aliis provinciis Sardiæ convenierant, ait: *Hi qui venerunt ex canali Italia, erant Probatus, Viator.* Observarunt, & ita exposuerunt dictum canonem Cironius dicto lib. 2. observ. cap. 14. Lantdmeter. lib. 2. de veteri clerico & mon. cap. 55. I. Gothofr. in l. 2. Cod. Theodos. de cursu publico.

Tandem suprà traditæ assertioni obstat textus in canone 43. Concilii Cabilon. ubi agitur de Episcopis vagantibus sine titulo, & sede, quos PP. appellant Schorôs: unde constat non solum in pagis, & modicis oppidis, verum & sine certa sede Episcopos consecrari posse. Igitur non rectè in præsentem docetur, tantum in majoribus civitatibus Episcopos esse instituendos. Pro cuius canonis expositione jam observavit Cironius lib. 1. observ. cap. 13. olim in plerisque regionibus Episcopos ordinatos fuisse, ut adjuutores aliorum Episcoporum, ut cum hi propter varia impedimenta negotiis, & necessitatibus suarum Ecclesiarum superare non possint, illi Episcoporum officio fungentur: & ita erant Episcopi incertæ sedis, quasi adventitii, & conductitii, ut fuit sanctus Bonifacius, donec per Zachariam Papam creatus fuit Moguntia Præsul; & ipse sanctus Bonifacius ita ordinavit Episcopum Campaldum, ut referunt in Metropoli Salisburg. tom. 2. anno 732. & plures ex eis subscriperunt in Concilio Mantifcon. 2. & de eis atq; eorū paupertate in chronico Archiep. Brementium ita legitur: *In Concilio Laterani erant à Papa consecrati Episcopi duo Angliæ, & duo Scoti; unus solo equo venerat, alter pedes.* Et Episcopi, qui tantum unam domum habebat, meminit Balsamon in can. 17. Synodi Chalced. Dicuntur autem illi Scoti, quia in Scotia eorum usus magis invaluerat, ut probat Cironius ubi suprà.

CAPUT II.

a Gregorius Petro Subdiacono Campaniæ.

Sicut in iudiciis laicorum privilegia turbare non cupimus, ita eis præjudicantibus moderatâ volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non contra leges est agere, sed legi ferre subsidium. Quia igitur Deus dedit generi Felicis de Orticello, præsentium satrici^b violentiam dicitur irrogasse, præfatamque rem illicitè detinere, ita ut viduitatis ejus dejectio non misericordiam provocare, sed ejus inveniatur roborare malitiam: præcipimus experientiæ tuæ, ut tam contra præfatum virum, quàm in cæteris causis, in quibus se asserit præfata femina præjudicium sustinere, nostræ ei solatium tuitionis impendas, nec à quolibet eam prægravari permittas: ne vel ea, quæ tibi, salvâ tamen æquitate mandantur, in aliqua inveniari parte negligere: vel viduis, aliisque pauperibus, dum illic auxilium non inveniunt, ex hujus itineris profligentur longinquitate dispendia.

NOTÆ.

1. a Gregorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & reperitur textus hic in Registro epistolarum ipsius Pontificis lib. 2. indict. 11. epist. 5. ex quo restituo literam hu-

jus textus: de hoc defensore, & ejus officio nonnulla adduxi in cap. 1. de elect.

b Violentiam.] In rebus videlicet: unde cum ipsa vidua esset, & per consequens miserabilis persona, iudex ecclesiasticus adiri poterat, juxta tradita in cap. ex litteris, de foro comper. Unde cognoscitur

citur quam perperam in præfenti repetentes ex hac Gregorii epistola deduxerint, malefactorum laicum, non obstante quocunque privile-

gio, per iudicem ecclesiasticum puniri posse quam doctrinam disputavi in cap. 8. de foro competenti.

CAPUT III.

Ex Concilio ^a Lateranen.

Cum & plantare sacram religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeamus, nunquam hoc melius exequemur, quam si nutrire quæ recta sunt, & corrigere quæ profectum veritatis impediunt, commissâ nobis auctoritate curemus. Fratrum autem, & Coepiscoporum nostrorum vehementi confectione comperimus, quod Fratres ^b Templi, & ^c Hospitalis, & alii quoque religiosæ professionis, indulta sibi ab Apostolica Sede excedentes privilegia, contra Episcopalem auctoritatem multa præsumant, quæ & scandalum generant in populo Dei, & grave pariunt periculum animarum. Proponunt enim, quod Ecclesias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta, & sepulturam admittant, in Ecclesiis suis præter eorum conscientiam & instituant, & amoveant sacerdotes: & fratribus eorum ad elemosynas quærendas euntibus, cum indultum sit eis, ut in adventu eorum semel in anno Ecclesiæ aperiantur, atque in eis divina celebrentur officia, plures ex eis de una, sive diversis domibus ad locum interdictum sæpius accedentes, indulgentia privilegiorum in celebrandis officiis abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas Ecclesias sepelire præsumunt. Occasione quoque fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur Episcopalis auctoritatis enervant, dum contra eorum sententiam sub aliquorum privilegiorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem volunt accedere, & se conferre. In his quia non tam de majorum conscientia, vel consilio, quam de minorum indiscretione quorundam exceditur, & removenda ea, in quibus excedunt, & quæ dubietatem faciunt, declaranda decrevimus. Ecclesias sanè, & ^d decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos, quam quoscunque alios religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam quas contra renorem istum moderno tempore receperunt: excommunicatos, ^e & nominatim ^f interdictos, tam ab illis, quam ab omnibus aliis, juxta Episcoporum sententiam statuimus evitandos. In Ecclesiis verò suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros Episcopis ^g præsentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos autem Episcopis inconsultis non audeant remove. Si verò Templarii, sive Hospitalarii ad ecclesiasticum interdictum venerint, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, ne tunc ibi corpora sepeliant defunctorum. De ^h confratribus hoc statuimus, ut si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in suis proprietatibus duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum sententia nullatenus eximantur: sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos suos exercent, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, de aliis quoque religiosis, qui præsumptione sua Episcoporum jura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem privilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus observari. Si autem contra hoc institutum venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumperint, subiaceant interdicto, & quod egerint irritum habeatur.

NOTÆ.

^a **L**ateranensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & extat textus hic in ipso Concilio Lateran. cap. 9. pro ut in præfenti transcribitur. De eo Concilio nonnulla adduxi in cap. 27. de rescriptis.

^b **Templi.**] De quibus, & eorum misero exitu egi in cap. 16. de judic.

^c **Hospitalis.**] Qui infra dicuntur Hierosolymitani, de quibus, & eorum præclaro ordine, origine, & progressu plura congesterunt D. Rochus D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Pirro tom. 1. Sicilia sacr. in noitia Ecclesie Melitensis, Gualterus in chron. seculo 10. anno 119. Carillo in suis annalibus, anno 1104. plures congesti à Don Ferdinando de Scanno in propugn. sacre hujus religionis. disc. pt. 1. cap. 1. num. 3. & nos nonnulla congestimus in cap. 10. de sepult.

^d **Ecclesias & decimas.**] De Ecclesiis non accipiendis de manu laici egi in cap. 43. de elect. si militer de decimis ab eis non accipiendis inconsulto Episcopo egi in cap. quod autem, de jure patron. ubi commentarium hujus prioris partis invenies.

Excommunicatos.] Cum quibus etiam communicare exempli non possunt, ut dicemus infra in cap. nulli. de sent. excom.

f. Interdictos.] Alias exempli etiam non servantes interdictum graviter peccant, & puniuntur, ut probavi in cap. fin. de excess. Pralat.

g. Praesentem.] Juxta tradita in cap. 1. de statu monach. cap. 1. de capel. monach.

h. De confratribus.] Ordo Hierosolymitanus ultra Equites, fratres, & cappellanos, habet etiam confratres deferentes mediam crucem albam, quam vocant Tau, qui statutis ipsius Ordinis donati quoque appellantur: ut admittantur in Ordine, debent probare se natalibus honestis esse procreatos, & à Judæis, aut Mahometanis non ducere originem, probè, ac non flagitiosè vixisse, nullam per seipsum exercuisse artem sordidam, vel mechanicam; & præterea tenentur aliquam partem bonorum suorum ipsi Ordini offerre, & ita admitti signum donatorum vestibus insutum publicè deferre, ut cavetur in statutis ipsius Ordinis, tit. 2. num. 30. cum sequent. de quibus plura Petrus Gregorius lib. 15. synag. cap. 34. num. 8. Mendo de Ordinib. Milit. disquisit. 2. quest. 1. num. 14. D. Ferdinand. de Scanno in propugnac. religionis Hierosolym. discept. 4. cap. 2. Illi verò non sunt religiosi, ideoque testamentum facere possunt, ut probat idem Scanno discept. 9. cap. 5. num. 57. nec amittunt beneficia sæcularia per ingressum in ipso

Ordine, ut probat idem Scanno discept. 11. cap. 2. num. 31. à collectis immunes non sunt; idem Scanno discept. 12. cap. 2. num. 4. officia sæcularia habere possunt, idem discept. 13. cap. 5. num. 27. Circa exemptionem autem eorum, & privilegium fori Aloysius Riccius tom. 4. resol. 177. num. 3. Thomas Delbene de immunit. Eccles. tom. 1. cap. 1. dub. 11. sect. 2. num. 12. existimantur, similes confratres privilegio fori gaudere, ideoque puniendos esse à Magno Magistro ipsius Ordinis. Sed contraria sententia communior, & receptor est, quia confratres hi merè sæculares sunt, cum non emittant tria vota substantialia religionis, & ita privilegia regularia illis non conveniunt. Concil. Trident. sess. 24. de regul. cap. 11. quæ doctrina apertè probatur ex hoc textu, & conformis est constitutioni Pontificiæ Gregorii XIII. in Bulla quæ incipit, *Circumspecta*, edita die xxv. Novemb. anno 1580. & docuerunt Carleval. de iudicis lib. 1. tit. 1. disput. 2. num. 455. Mendo de Ordin. Militar. disquisit. 2. quest. 2. num. 84. Narbona in l. 8. tit. 5. Glossa unice. lib. 1. recopil. Azevedo in l. 1. num. 11. tit. 14. lib. 5. recopil. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 18. num. 231. Gurban. consil. 21. Diana part. 3. tract. 1. resol. 51. Hieronymus Garcia tom. 1. polit. regular. tract. 1. difficult. 5. dub. 4. punct. 2. Pellizarius tom. 1. manual. regul. tract. 1. cap. 3. num. 27. Scanno in propugnac. discept. 13. cap. 2. num. 24.

CAPUT IV.

Idem Venerabilibus fratribus ^a Archiepiscopis, ad quos litteræ istæ pervenerint.

Dilecti filii nostri fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod vos eisdem de ^b malefactoribus suis iustitiam facere non vultis, privilegia ipsorum inspicere contemnitis, nec ipsos elemosynas quærere in vestris parochiis, aut fratres ipsorum ^c sepelire aliquatenus permittitis. Quoniam igitur iidem fratres multis sunt libertatibus, & ^d privilegiis à Romanis Pontificibus præmuniti, quæ ut nostris temporibus infringantur, nolimus sustinere: f. v. per A. f. m. quat. jam dictis fratribus in iis, quæ sibi à Romana Ecclesia noscuntur indulta fuisse, nullam profus molestiam faciatis, nec ea sibi contradicere, vel negare aliquatenus attentetis. Si enim de vobis in veritate talia de cætero poterimus comperire, pro certo sciatis, quod non concessa privilegia decurtabimus, cum nostris, & Ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obviare minime timeatis.

NOTÆ.

1. ^a *Archiepiscopis.*] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. in hac verò sexta additur, & *Episcopis.* Et rectè, quia cum eis occurrunt frequenter conquestiones, de quibus in præfenti agitur.

2. ^b *Malefactoribus.*] Quæ conquestio cessavit postquam ipsi Hierosolymitani privilegium adepti fuerunt nominandi iudicem conservatorem, quod concesserunt Pius IV. Clemens VII. Gre-

gorius XIII. Urbanus VIII. in bullis relatis ab Scanno in propugnac. discept. 15. cap. 1. ubi de iurisdictione Conservatoris latè agit, & in quibus causis cognoscere possit.

^c *Sepelire.*] Postea verò privilegium adepti fuerunt, ut non solum ipsi in propriis Ecclesiis, verum & alii, qui in ipsorum Ecclesiis sepulturam eligunt, possint tumulari, cap. in nostra, de sepultur. ubi probavi.

^d *Privilegiis.*] Quorum epitomen tradit Scanno in dict. propugnaculo, discept. 16. per tot.

CAPUT V.

Idem ^a Cantuar. Archiepiscopo.

AD hoc in Beatorum Apostolorum Principis Cathedra, Domino disponente, quamquam immeriti sumus constituti, ut plantare debeamus, quæ ad divinum spectent decorem, & evellere, & eradicare curemus, quæ obvia sunt rationi, & profectum impediunt salutis. Intelleximus sane, quod Hospitalarii nominatim excommunicatos contra prohibitiones Episcoporum Ecclesiasticæ præsumunt tradere sepulturæ, non cogitantes, quàm grave sit eis in morte communicare, quos dum viverent, Ecclesia à suo sinu pro eorum excessibus ^b segregavit. Verùm quoniam hujusmodi præsumptionem, & temeritatem nolumus, nec debemus aliquatenus tolerare: f. t. per A. f. p. m. quat. prædictos fratres moneas, ac hortaris, & eis ex parte nostra præcipias, ut si quos in excommunicatione defunctos in cæmeteriis Ecclesiarum sepelierint, eos extra cæmeteria penitus ejiciant. Quod si facere noluerint, hoc ipsum de his quos in excommunicatione defunctos esse tibi constiterit, auctoritate nostra rem. ap. ob. exquiras.

NOTÆ.

^a *Cantuariensis*.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 6. & post Concil.

Later. part. 31. cap. 5. De hac Metropoli nonnulla adduxi in cap. 2. de rescript.

^b *Segregavit.*] Juxta tradita in cap. sacris, de sepultur. ubi commentarium hujus textus dedi.

CAPUT VI.

Idem Abbati & Monachis ^a S. Andrea.

SI de terra, quam habetis in Parochia, d. v. jam per xxx. Annos decimas Canonice de Plautio perfolvistis, eas sibi de cætero integrè, oc. & ap. post perfolvatis: licet enim privilegiorum Romanæ Ecclesiæ beneficio Fratribus de Cisterc. indultum sit, quod de laboribus suis nulli decimas, vel primitias perfolvere debeant; ex privilegio tamen vobis indulta tanto tempore detrahere voluistis. Cùm liberum sit unicuique juri suo abrenunciare, eoque modo potestis vos in hac parte tueri.

NOTÆ.

^a *S. Andrea.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 9. & post Concil. Later. part. 38. cap. 4. Monasterium hoc est Ordinis Cisterciens. in Diocesi Sagientis, quod B. Mariæ de sancto Andrea Ordinis Cisterciensis appellatur in libro Camera: cujus Ecclesiam in restauratam, aut perfectam à Reginaldo Abbate dedicavit Gaufridus Episcopus Sagientis Anno 1552. ut refert Manrique tom. 2. anal. Cisterc. anno 1148. cap. 15. num. 5.

Moneta de commut. cap. 8. num. 495. Suarez to. 1. de relig. lib. 10. cap. 20. Garcia de nobilitate, glossa 6. Amaya in l. 1. Cod. qui sponce, num. 18. Giurba consil. 59. Castillo de tertius, cap. 19. Caldas Pereyra de off. 91.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita inturgo. Privilegium per non usum non amittitur, unde in l. voluntaria 12. Cod. de excusat. muner. lib. 12. docetur, quod si aliquis habet immunitatem à tutela, non ob id, quod spontè eam susceperit, privilegiis suis derogat: & in l. creditor 7. Cod. de usur. aj. ut Imperatores: Nec enim si aliquando ex consensu præstata sunt, obligationem constituunt. Ergo non rectè in præsentem assertitur, per non usum privilegium amitti non solvendi decimas. Augetur hæc difficultas ex eo; nam privilegium ut possit amitti per non usum, debebat illud omittere communitas, seu persona, cui concessum est, ut probat Chassaign. dicta proposit. cap. 5. Sed privilegium non solvendi decimas, de quo in præsentem, non fuit concessum Monasterio sancti Andrea tantum, sed universæ Religioni Cisterciensi, ut probavi in cap. nuper, de decimis. Igitur omissione, seu negligentia Abbatis, & Fratrum Monasterii S. Andrea amitti non poterat. Augetur deinde hæc difficultas ex cap. accedentibus, hoc titul. ubi in eadem specie privilegii decimarum assertitur, quod ad hoc ut illud amittatur,

^{2.}
Impugnatur tradita assertio.

COMMENTARIUM.

^{1.} *Conclusio* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Privilegium amittitur per non usum, Ecclesie tamen concessum post XXX. annos. Quæ Conclusio probari potest ex cap. cum accessissent, de consil. cap. pro illorum 22. de prob. cap. ad Apostolicam, de regul. c. accedentibus hoc tit. l. 2. & final. ff. de veteran. l. 2. l. semper 5. §. final. ff. de jure immunit. l. 2. §. final. ff. de Decur. l. 2. Cod. de tabul. lib. 11. l. 3. Cod. de Decur. lib. 10. l. 2. Cod. de jure domini imperand. Illustrant ultra congestos à Barboza in præsentem, & de potest. Episcopi alleg. 26. num. 11. Balboa in cap. Sanctorum, de præscript. num. 54. Bruno Chassaign. de privileg. regul. part. 1. princip. l. cap. 5.

ur desideratur præscriptio quadragenaria contra habentem simile privilegium. Ergo non rectè præsentem asseritur præscriptionem tricennalem sufficere contra Monasterium S. Andreae, ut privilegium non solvendi decimas amittere possit.

3. Quà dubitandi ratione ita fulcità non obstantem, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, juxta Isidorum in cap. privilegia, mon. & 3. dist. privilegia dici privatas leges, eo quod in accepti-ones. Privilegia nihil sunt aliud, quam jus singulare incerta alicujus persona, vel causa favorem ac gratiam, propter aliquam naturalis aequitatis rationem inducunt. En quod privilegia in privatum ferantur, sicut enim privilegia quadam beneficia à Principe inducta, l. quia tale. ff. solut. matrim. l. sunt qui 16. ff. de re judic. facit textus in l. privilegia 196. ff. de R. I. ubi Jureconsultus appellat beneficia ea, quæ verè privilegia dicuntur in l. in omnibus 66. ff. eod. tit. quia Principis beneficio indulgentur propter privatum commodum, & favorem privilegii, cap. in his 30. ibi: *Duximus indulgendum* & de privil. notantur P. Faber, & Gothofredus in dict. l. privilegia, Azor. to. 2. instr. lib. 5. cap. 22. & 23. Suarez lib. 6. de legibus, cap. 1. num. 3. Salas eod. tract. disp. 27. sect. 1. Hieronymus Garcia in pol. regul. trac. 8. difficult. 1. dub. 1. Prado to. 2. Theolog. Moral. c. 5. q. 1. Belsold. in delib. jur. lib. 1. Pandect. tit. de privil. quare privilegii, & beneficii voces promiscuè usurpantur à Calliodoro lib. 1. variar. c. 28. quia in genere saltem conveniunt, ut ex indulgentia Principis proficiantur; namque omne privilegium continet gratiam, beneficium, & indulgentiam Principis, & ex ejus favore descendit, nec potest debitum dici. Suarez dict. lib. 8. c. 2. n. 11. Sed non omne beneficium privilegium est, sicut nec dispensatio, nec rescriptum gratiæ, quia in his deest ratio propria privilegii, quæ in eo consistit, ut ad omnem actum generis privilegiati immunitatem habeat is, cui datum est privilegium, quasi legis permissionem obtinuerit: sed beneficia, rescripta gratiæ, & dispensationes inductæ, ad unum, vel alterum casum, tantum vires suas producant, nec legis rationem obtinent: quapropter privilegia, & rescripta, tanquam diversa specialibus titulis distinguuntur in hoc volumine libro 6. & in Clementinis; & ex ea differentia colligit Azor lib. 5. instr. cap. 22. quest. 5. quod licet in beneficiis cautum sit, ne liceat uti gratia ante impetratas litteras in extravag. indulta, de elect. ad privilegia, tamen hæc doctrina non extenditur. Quod autem D. Isidorus in dicto cap. privilegia, adjicit, privilegia privatas leges dici, quia in privam ferantur, videtur sumpsisse ex Gellio lib. 10. noct. cap. 20 qui communes leges à privilegiis ita distinguit, quod leges sunt generalia jussa pertinentia ad universos cives, privilegia verò sunt privata jussa ad singulos homines pertinentia; quia veteres priva dixerunt, quæ nos singulare dicimus, ut notavit Jacob. Gothof. in dicta regula Privilegia. Undè deducitur, non exigi ad privilegia formanda, quod singularibus hominibus concedantur, quia etiam possunt uni communitati tribui, vel collegio, ut in dict. cap. his 30. de privileg. dict. cap. Abbate 25. d. V. S. vel certo generi personarum, veluti minoribus, Clericis, Religiosis, Ecclesiis. Militibus, creditoribus, maritis, vel dotibus, ut in d. l. sunt qui, de re judic. l. si ventri, ff. de bonis auctori. judicis, l. assiduis, Cod. qui portores: nec idèò minus sunt privilegia, quia ipsa communitas, vel per-

sonarum, vel causarum collectio habet se ad instar private personæ, quia est pars majoris communitatis, à cuius legibus eximitur. Lege autem decemviri cautum fuit, Privilegia ne concederentur, tabulâ novâ, his verbis: *Privilegia ne concederentur. Quam laudat Cicero lib. 3. de legibus, ibi: Leges præclarissime de 12. tabulis translate duæ, quarum altera privilegia tollit. Et mox: In privatos homines leges ferre noluerunt: id enim est privilegium, quo quid est injustum. Et pro domo sua ibi: Vetant leges sacratæ, verant 12. Tabula leges privatis hominibus irrogari; id est enim privilegium, quod nemo unquam tulit, nihil est crudelius, nihil permissio suum, nihil quod minus hac Civitas ferre possit. Quæ lex ab Atheniensibus accepta fuit, apud quos teste Demosthene contra Aristocratem ita cautum erat: Nec lex de vino feratur. Illustrat Samuel Petrus ad jus Atticum lib. 2. tit. 1. qui, & Jacob. Gothofredus in notis ad d. tabul. 9. observant privilegium in ea lege aliter accipi, quàm vulgò hodie accipitur, videlicet pro jure extraordinario & à communi exorbitante, quando lex specialis pro singulari persona rogatur, in qua oriebatur, & finiebatur; veluti lex de Menandro, cuius meminit Consul-tus in l. 5. §. ultim. ff. de capitulis: altera de Hostilio Mancino, cuius mentio fit in l. ult. ff. de legationibus. Videndi sunt Petrus, & Gothofredus ubi supra.*

Ex hoc etiam principio, quod privilegia privata leges sint, inferitur, ab eo esse concedenda privilegia, qui legem concedendi potestatem habeat, ut probant D. Antoninus 2. part. summa, post. tit. 19. cap. 1. Sylvester in summa, verbo privilegium, qu. 2. Hostiensis in summa hujus tituli, §. qui possit, Suarez dict. lib. 8. de legibus cap. 8. Salas eod. tract. disp. 17. sect. 3. Unde provenit, competere Romano Pontifici potestatem indulgenti privilegia in universo orbe, ut probatur à Gratiano post caput finale, §. item Hieronymus, 28. quest. 1. & in cap. constitutum 6. ibi: *Cum libertatis privilegium, vel protectionis præsidium aliquibus Ecclesiis indulgemus: de religiosis domibus.* Latè illustrat Bronus Chassaing. de privileg. Regul. regul. 1. proposit. 5. & hoc est accipiendum, dummodò hanc potestatem exerceat circa spiritualia, aut Ecclesiastica jura, quæ ei subiciuntur; non autem circa temporalia, nisi respiciant spiritualia. Suarez dict. lib. 8. cap. 8. n. 7. vel si ab spiritualibus dependant, ut in specie textus in cap. per venerabilem, qui filii sunt legit. Idem circa Reges, & alios Dominos temporales dicendum est; nam cum habeant supremam potestatem ferendi leges, possunt etiam privilegia concedere. Dubium autem est, an tantum subditis propriis privilegia concedi possint? Et concedi valere, suadet ex eo, quia privilegia sunt beneficia: sed beneficia etiam in subditis concedi valent: ergo & privilegia. Accedit quod Principes sæculares multa privilegia Ecclesiis, Clericisque concesserunt, l. 1. cum multis aliis, C. de sacros. Eccles. & de Episcopis, & Clericis, qui ab eorum potestate exempti sunt, constat ex cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. cap. final. de rebus Eccles. Sed adhuc dicendum est, beneficium, quod veri privilegii rationem habet, concedendum esse à Principe suis subditis, nec ab alio dari, ut docent Azor. tom. 1. instruit. moral. lib. 5. cap. 22. quest. 4. Suarez dict. l. 8. de legibus cap. 9. num. 2. Salas dict. sect. 3. num. 7. qui inde deducunt, non posse à Principibus sæcularibus privilegia tribui Ecclesiis, nec Ecclesiasticis personis: quæ doctrina ex

ex eo probatur, quia hoc beneficium non est simpliciter beneficium, sed lex privata; ideoque solis subditis concedi potest, sicut lex solis subditis datur. Suarez de legibus disput. 7. sect. 7. n. 23. alias autem frustra diceremus Pontificem in spiritualibus tantum, vel Ecclesiasticis eidem annexis privilegia concedere, si posset omnibus indefinitè ea concedere: undè in dictis legibus Codicis abusive privilegia dicuntur concessiones factæ à Principe seculari Ecclesiasticis personis, nisi forte circa eam materiam versentur, quæ personis Ecclesiasticis competit tanquam civibus, & membris Reipublicæ politicæ: nam quoad hanc partem Principi laico subijciuntur, & ideo possunt in ea ab ipso privilegia concedi.

5. Traditio
trava-
tio deci-
dendi.

Ex hucusque traditis apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cum privilegium sit lex privata, renunciari poterit ab eo, in cuius favorem concessum est. quia uniusquisque potest juri pro se introducto renunciare, c. ad Apostolicam, de regul. l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cleric. probavi latè in cap. si diligenti, de foro compet. & cum nihil inter sit voluntas declaretur factis, aut verbis, l. de quibus 2. ff. de legib. immò factò plus soler ostendi voluntas, quam verbis, l. si tamen 48. §. si quis, ff. de adilit. edict. ideo renunciari potest privilegium, aut non utendo eo, aut per contrarium utrum, ideoque in præsentis specie cum Monasterium S. Andreae ratione privilegii possit se excusare à solutione decimarum, & non fecerit, immò per 30. annos eas persolverit; videtur tacite suo privilegio renuntiasse, ut ex ipsa taciturnitate eliciatur consensus renunciandi, l. Campanus 47. ff. de oper. libert. l. si quis delegaverit 12. ff. de novat. l. 4. C. de pact. inter emp. & per consequens non potuit Monasterium amplius intendere ejus obligationis exemptionem, argumento legis jam dubitari 86. §. final. ff. de hered. inst. Illud tamen summè notandum est, in privilegio reali duplicem usum dari posse: alium privativum, contrarium alium. Privativus est, cum quis privilegio voluntariè non utitur: contrarius cum non solum quis non utitur privilegio, verum & operatur quid contrarium eidem: & ut præscriptio currat in usu privativo, tres conditiones juxta communem Doctorem sententiam, quam sequuntur Portel. in dubiis regul. verbo Privilegii non usus, Chassaing. dict. c. 5. propositi. 1. requiruntur. Prima, ut oblata fuerit occasio utendi privilegio, & privilegiarius eo non utatur: secunda ut detur scientia talis privilegii: tertia ut adsit potentia illo utendi, id est non detur impedimentum.

6. Dissol-
vitur
dubitatio
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cuius solutione varia adduxerunt Joannes de Plantea in l. 2. C. qui sponte munera, lib. 10. Garcia de nobilit. gloss. 6. nu. 29. Suarez dict. lib. 8. de legibus, cap. 35. num. 10. Gironda de privil. credit. num. 107. Otero de pascuis, cap. 20. num. 31. Castillo de tertis, cap. 19. num. 16. qui communiter reiterabiles; & momentaneos, non reiterabiles; ut in his sufficiat unicus actus ad amittendum privilegium, in illis autem necessarium sit tempus præscriptionis. Sed hanc sententiam facile refellunt Garcia ubi supra, Amaya in l. 1. Cod. de his qui sponte, n. 20. quare eà distinctione omisâ verius dicendum est cum P. Suarez dict. cap. 35. num. 10. Barbola alleg. 26. n. 15. Pereyra decis. 91. Castillo de tertis cap. 19. nu. 16. per actum unicum privilegio contrarium non induci amissionem privilegii quoad futurum tem-

pus, sed tantum induci renunciationem quoad illum actum particularem, vel causam, in qua contra privilegium egit, ut expressè probatur in dict. l. voluntariè, Cod. de excusat. int. l. 2. & 3. Cod. de his qui sponte, veluti si tutor, qui excusari poterat à tutela, illam admisit, et si postea excusare se velit, non audietur, l. Prator 13. §. final. ff. de vacat. muner. Idem in veterano Decurionatum agnoscente probatur in l. 2. & final. in fine. ff. de veteranis; facit textus in l. Prator 13. §. final. ff. de vacat. muner. ubi docetur, quod si is, qui poterat privilegio se excusare, ne Judex fieret, postquam consentit, penitentia ductus velit se excusare, audiri non debet. Nec contrarium docetur in cap. cum accessissent, de constit. cui varias assignarunt interpretationes Doctores supra relati, quibus omisissis dicendum est cum Amaya ubi supra, num. 27. in eo textu non agi de illo privilegio, sed potius de statuto factò à Canonicis Tulentibus, qui per unum contrarium actum poterunt ab eo desistere, & recedere ab eo novâ dispositione, ut jam in eo textu notavi. Ut autem Privilegium quoad tempus futurum amittatur, varii actus contrarii, seu omisissis, accedente legitima temporis præscriptione, desiderantur. Quot verò actus necessarii sint, nec jure expressum est, nec apud interpretes constat. Obtinuit tamen, sufficere eos, qui necessarii videantur, ut tempus præscriptionis non interrumpatur, argumento legis autem 6. ff. de servit. urban. ibi: Ita ad eum jus meum amitto, si super hoc tempus ades tuas alius sublatas habueris: l. si quis 18. in fin. ff. quemadmodum serv. viutus; ex eo enim actu, qui contra privilegium factum est, decidit à possessione sua privilegiatus, & incipit quasi possideri jus contra illum. Quod si continuetur, & non interrumpatur, nec privilegiatus faciat quicquam quo videatur priorem illum actum retractare, & suam quasi possessionem reintegrare, mediante præscriptione amittitur. Nec obstat primum argumentum ipsius dubitandi rationis; nam verum est Privilegium tantum renunciari posse ab eo, in cuius favorem illud concessum est, ut in totum amittatur; & ita ut universus Ordo Cisterciensis amitteret privilegium non solvendi decimas, universus ordo cessare debebat in privilegiu suo: at verò ut unum monasterium pro suo interesse particulari amittat illud beneficium, sufficit ejus omisissio, & neglectus, quia tunc partialiter pro sua parte amittitur privilegium.

7. Exponi-
tur cap.
acceden-
tibus, hoc
tit.

Nec tandem obstat textus in dict. cap. accedentibus: pro cuius conciliatione cum præsentis textu varia adduxerunt Garcia de nobilit. dict. gloss. 6. num. 35. Suarez de legibus lib. 8. cap. 35. nu. 2. Barbola de potest. Episcopi dict. alleg. 26. num. 18. Alii qui docuerunt, præsentem textum esse accipiendum juxta tempus antiquorum canonum, quò admissa fuerat tricennalis præscriptio, ut probavi in c. Sanctorum; textum verò in dict. c. accedentibus, procedere juxta novos canones, secundum quos præscriptio quadragenaria contra Ecclesiam statuta fuit in cap. de quarta, cap. illud, cap. ad avres, de præscripti. Sed cum ipsi textus auctorem habeant Alexandrum III. qui auctor est præsentis textus, hæc solutio sustineri non potest: quare verius dicendum est cum Barbola in præsentis, & dict. alleg. 26. Amaya ubi supra, num. 30. diversam speciem proponi in præsentis textu, ac in d. cap. accedentibus; in præsentis enim sufficit præscriptio tricennalis; quia non agebatur de præscriptione decimarum,

decimarum, sed de renunciatione privilegii, quia Canonici petebant decimas in sua Parochia jure communi sibi debitas, *cap. cum contingat, de decimis*, Monachi Sancti Andreae exceptionem opponerent privilegii Cisterciensibus concessi in *cap. nuper, c. ex parte de decimis*; è contrà Canonici replicabant, privilegium illud cessasse per contrarium usum, quia per 30. annos eo privilegio usi non fuerunt; undè illud renunciassè credebantur, & per consequens standum esse juri communi. Et quia faciliùs quælibet res redit ad pristinum statum, argumento legis si unus 27. §. *pactus ne peteret, ff. de pactis*; ideo minùs tempus necessarium erat ad hanc præscriptionem, ut solutio decimarum reduceretur ad jus commune: at verò in *dist. cap. accedentibus*, contrarium contingebat; nam Monasterium, quod petebat decimas, jure speciali nitebatur, non verò jure communi:

Templarii verò privilegium exemptionis allegabant. Et licet illud amitti possit tacitè renunciatione, hoc est decimarum solutione, tamen ad talem præscriptionem, & ut Monachi ab eis possent decimas exigere, desideratur præscriptio quadragenaria, quia currit contrà Ecclesiam, & ille præscriberebat, qui non jure communi nitebatur, sed potiùs jure speciali; undè diutius tempus in ea præscriptione desiderabatur, quam in præsentis specie: latius prosequitur Barbosa *dicta alleg. 26.* Illud tamen omittendum non duxi, hucusque tradita de tempore necessario ad amittendum privilegium, procedere regulariter in privilegio de non faciendis; si verò sit privilegium faciendi aliquid, veluti habendi nundinas, spatio 10. annorum præscribitur, l. 1. *ff. de nundinis, l. 2. tit. 18. part. 3. Azuvedo in d. l. 1. tit. 1. Molina lib. 2. de primog. c. 7. nu. 70. Amaya in d. l. 1. C. de his qui sponte, n. 35.*

C A P U T VII.

Idem a *Ambian, Episcopo.*

PORRò quoniam Templarii, & Hospitalarii multà sunt libertatis prærogativà donati, non dubitamus, quin aliam libertatem habeant in locis, in quibus antequam ad eos pervenissent, fuerant habitatores: quod totum ex ^b inspectione privilegiorum suorum plenius advertere poteris, & secundùm quod inveneris, ita ^c observes.

NOTÆ.

^a **A** *Mbianensi.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *part. 50. cap. 18. & in 1. collectè. sub hoc tit. cap. final.* ubi additur *pars capituli Quoad sedem*, ut cognoscatur in præsentem referri partem textus in *cap. quoad Sedem, de frigidis*. ubi extat alia pars hujus de. retalis.

^{i.} **b** *Inspectione.*] Erit ad privilegii valorem, & probationem necessariam esse scripturam docuerunt Glossa *verbo In scriptis*, in *cap. 1. de censibus lib. 6.* Baldus in *l. 2. Cod. de mandatis Principum*, Mascardus *de probat. conclus. 528. num. 19.* & suadet ea sententia *ex cap. contra morem, dist. 10. ibi: Scriptis privilegii; c. cum olim 12. hoc. tit. cap. cum persona 7. cod. tit. lib. 6.* Sed adhuc verius est, non requiri scripturam ad valorem privilegii, nec ejus probationem. Suarez *d. lib. 8. cap. 2. num. 2.* qui indè notat, viva vocis oraculo privilegia indulgeri. Salas *de legibus dist. disput. 27. sect. 2. nu. 20.* Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 5. quæst. 1 §. 2.* quia nullà constitutione scriptura exigitur ad privilegium probandum: & constitutio extravagantis *Injunctæ, de elect.* quâ docetur non licere usum gratiæ Pontifici: ante expeditionem litterarum, solùm procedit in gratiis beneficialibus; & idèd succedit regula juris, quod scripturâ non desideratur pro solennitate, sed gratiâ clarioris probationis, l. *contrahitur, ff. de pignor.* & hoc probatur *ex cap. institutiones 25. quæst. 2. Clement. dudum, de sepultur. extravag. et si Domini 3. de poenit. Per quasunque concessiones, & facultates per suam sanctitatem, tam verbo, quam scripto factis.* Quare si in foro interiori debium contingat, satis est privilegium obtinere, licet ad scripturam redactum non sit: in foro autem exteriori, qui privilegium allegat, illud probare debet, *dist. cap. contra morem.* Et licet soleat frequentius scripto comprehendì, hocque sit utilius, ut de tenore

illius certò constet, cui semper standum est; at tamen non est necessaria scriptura, sed per testes etiam probari potest, *cap. cum olim 12. hoc. tit. juxta quam doctrinam explicandus est textus in cap. cum persona 7. hoc. tit. lib. 6.* dùm ait, *exemptos à jurisdictione ordinaria per privilegium exhibere illud debere eorum arbitris ab ordinariis deputatis.* Quibus verbis probari videtur privilegia litteris, & scripturâ comprobari. Sed sententia illius textus ita accipienda est, ut qui privilegium allegat, & litteras, aut scripturam exemptionis se habere dicit, ea exhibeat; nam frequentius privilegium ad scripturam redigitur: sed si scripturam exempli non habeat, sufficiet probare privilegium testibus: quod satis constat ex ipso textu, in illis verbis: *Quibus se dicunt fore munitos.* Quorum sensus est: ut exempti cogantur ostendere & probare privilegium, ea probationis specie, ad quam se obstrinxerit, ut vel instrumenta exhibeant, vel testes, juxta modum, quo sibi indultum esse privilegium allegaverint; quæ est vera ipsius capituli interpretatio ab aliis non perpena. Si verò privilegia scripturâ comprobentur, oportet quod instrumentum authenticum sit, & nullum vitium, aut rasuram contineat, cum hoc sit generaliter constitutum in omnibus instrumentis, *cap. inter, de fide instrum.* & in privilegii specialiter cavetur in *cap. cum olim, vers. Distinguentes, hoc. tit.* adèd ut si testes proferantur ad probationem perempti privilegii, deponere debeant de amissione, & tenore, & quod sine vitio erat, *dist. cap. cum olim.* Quæ praxis notanda est tam à Judicibus, quam Advocatis, quando agitur de comprobando instrumento perempto.

^c **Observes.**] Quæri vulgò solet, utrum privilegia largè, an strictè sint interpretanda? Et quatenus sunt beneficia principalia, amplissimè interpretari debet, constat *ex l. 3. ff. de constit. Principum, cap. cum dilecti 6. de donat. c. olim 16.*

de V. S. l. 2. Cod. de bonis vacantibus. probant Guthe-
rus de officio domus lib. 1. cap. 38. Amaya in l. unic.
Cod. si liceat, Tapia in dict. l. 3. de confit. Princip.
Paulmest. lib. 2. de jurisd. cap. 4. num. 126. Opin-
gius de iure in sig. cap. 7. num. 208. Hunnius in ency-
clop. lib. 1. tit. 6. ut semper aliquid privilegiario tri-
buatur, cap. in his, 30. de privileg. Quatenus verò
contrà strictam interpretationem capere debent,
ided tradit solet, prohibitam esse extensionem pri-
vilegiorum, etiam in correlativis, aut conjun-
ctis, nisi aliter privilegium inutile reddatur, ut
docent Barbosa in l. quatuorale, à num. 22. ff. solut.
marim. Suarez dict. lib. 8. de legibus, cap. 11. Ad-
huc tamen distinguenda sunt privilegiorum gene-
ra; nam quæ sunt præter jus, & beneficii rationem
tenent, benignâ interpretatione debent coadju-
vari: quæ autem à jure communi exorbitant,
non sunt trahenda ad consequentiam, & strictè

observari debent, l. quod contrà 14. ff. de legibus,
l. quæ contrà, de R. l. lib. 6. docuerunt Azor tom.
1. institut. lib. 5. cap. 24. quest. 2. Salas de legibus
disput. 17. sect. 6. Suarez eod. tract. lib. 3. cap. 27. ubi
cap. 28. notat, nec ad restringendum privilegium,
nec ad illud ampliandum permissum esse ab ejus
tenore, aut proprietate verborum discedere; nec
etiam ita coangustandum, ut inanem gratiam red-
dat interpretatio. Idemay in notis ad Innoc. III.
lib. 3. registr. epist. 52. Nec etiam ad alias personas
extendendum est, cap. sane, hoc tit. Undè tota
superior resolutio observanda est, quando verba
privilegii ambigua sunt, & varias capiunt inter-
pretationes: nam ubi privilegium contrà jus est,
intelligitur concessum, quod minus est: ubi au-
tem præter jus, amplissima fit interpretatio, & con-
cessum intelligitur: quod à plus dicemus latius
in cap. olim 16. de V. S.

CAPUT VII.

Alexander III. l. A. S. Legato.

Recepimus literas, quas de Ecclesiis censualibus Episcopatus venerab. f. n. Novarien.
Episcopi direxisti, & ex eis perpendimus, qualiter ad jura nostra servanda vigil exi-
stas. Ceterum diligentiam tuam volumus non latere, quod sicut non omnes, qui specialiter
Beati Petri juris existunt, annuatim Apost. Sedi censum exsolvunt: ita nec omnes nostri
censuales ab Episcoporum subjectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo privi-
legia ipsarum Ecclesiarum, & ipsorum tenor diligentius est attendendus; ut si fuerit de-
prehensum, quod Ecclesia, quæ censum solvit, specialiter Beati Petri juris existat, &
ad judicium perceptæ libertatis census annuus conferatur, non immerito poterit specia-
li prærogativa gaudere. Si verò ad indicium perceptæ protectionis census per solvitur, non
ex hoc juri Diocesani Episcopi subtractum aliqui videtur. Cum igitur constet, Presbyterum
S. Petri præfato Episcopo obedientiam promississe in ordinatione sua, sicut in jure con-
fessus asseruit; nolumus, quod eum, vel aliquos tuearis. Quia sicut justitias nostras à
Fratribus nostris, & Co-episcopis nostris volumus reservari, ita eorum jura nos conven-
nit illibata custodire.

NOTÆ.

1. a [Legato.] Ita etiam legitur in secunda colle-
ctione, sub hoc tit. cap. 1. ex qua textum hunc
transcribo.
b [Novariensis.] De Novariensi Italia Diocesi e-
gin cap. 14. de re judic.
2. c [Protectionis.] Ex hoc textu, & etiam in cap.
ex parte 8. hoc tit. aperte probatur, eum qui sub

alicujus Principis Ecclesiastici, vel secularis pro-
tectione recipitur, non ideo liberari à jurisdic-
tione judicis ordinarii: quod ad varias causas in foro
contingentes exposuerunt Salgado de Regia protect.
part. 1. cap. 1. n. 207. Diana p. 10. tract. 7. resol. 1. & 3.
& etiam deducit Solorzano tom. 2. lib. 2. c. 24. n. 21.
aliquid temporale recipi posse pro præstatione.
d [Ordinatione sua.] Juxta tradita in cap. 3. de
jure jur.

CAPUT IX.

a Idem.

Sancè. Et infra: Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere,
quod Romana Ecclesia alicui certâ ratione inspectâ singularibus voluit beneficiis indul-
gere.

NOTÆ.

- a [Idem.] Textus hic non reperitur in aliqua ex
collectionibus antiquis; unde non constat,
cujus Pontificis sit, aut de quo privilegio in eo a-
gatur. Credo tamen esse partem textus antecedentis,
& Raymundum in partes illum divisisse.

COMMENTARIUM.

EX hac Alexandri decisione sequens communi-
tèr deducitur assertio: Privilegia singularibus Conclu-
personis concessa, ex identitate rationis ad alias non sibi tra-
extenduntur. Probant eam textus in l. 1 §. permitti-
tur ff. de aqua quotidiana, l. maritum 12. l. quatuorale 13. proba-
ff. solut. cur.

ff. solut. matrim. l. ex pluribus 42. ff. de administr. iur. l. 1. §. privilegium, ff. de Magistratibus conveniendis, l. 4. §. 1. ff. de privil. credit. l. etsi fideiussor 34. cum l. sequenti, ff. de re iudic. l. non debet cum duabus sequenti. ff. de dolo, l. cum patrono 28. ff. de legat. 2. l. 3. ff. de censibus, l. 1. ff. de iure immunit. l. in omnibus 68. l. privilegia 156. ff. de regul. iur. l. unic. Cod. de privil. dotis, l. sordidorum, Cod. de excus. mun. lib. 10. regulā Beneficium, de R. l. in 6. Illustrant Cuiac. Petrus Faber, & Jacob. Gothofr. in dict. l. in omnibus, Menochius lib. 3. de præsump. casu 103. Gaillus lib. 2. observ. c. 144. Petrus Barbosa in l. quia tale, n. 1. Suarez lib. 8. de legibus, c. 10. & 11. Salas eod. tract. disput. 17. sect. 6. & 8.

2.
Impugnatur
tradita
assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Privilegium restitutionis minoribus concessum, ob lubricum ætatis personæ conceditur, l. 2. l. 3. §. sed utrum, ff. de minoribus, l. Stichum 95 §. quod vulgò, ff. de solut. Sed etiam hoc privilegium extenditur ad minoris hæredes, l. non solum 6. ff. de integram restit. l. minori 8. §. ultim. ff. de minor. l. Tarsia 62. vers. Item, ff. de iure dot. l. unic. C. si adversus dotem, l. 2. & 4. C. de tempor. in integ. restit. l. ult. in ult. part. 6. & etiam fideiussoribus datur, l. minor 51 ff. de procurat. l. si pupillus 89. ff. de acquir. hæred. l. 2. §. 1. ff. de administr. iur. l. 3. §. 4. vers. Sed an hoc auxilium, ff. de minoribus. Igitur quia privilegia, quantumvis personæ concessa, ad alios etiam extenduntur. Augetur hæc dubitandi ratio, nam privilegium Velleiani mulieribus concessum est ob sexus fragilitatem, l. 1. ff. ad Velleianum. Sed hoc privilegium etiam ad eorum hæredes extenditur, l. hæredes 20. Cod. ad Velleianum. Igitur quia privilegium personæ concessum ad alios etiam extenditur.

3.
Privilegia
personalia,
aut realia.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, eam differentiam versari inter privilegia realia, & personalia, quod realia perpetua sunt, & cum ipsa re transeunt; personalia verò personæ coherent, & cum ipsa persona extinguuntur. Sed undè dignosci possit, an privilegium reale sit, vel personale, apud Doctores non constat. Vulgò receptum est, personale illud esse, quod in personam concipitur; reale verò, si in rem. Ita docuerunt Petrus Barbosa, & Suarez ubi supra. Verùm hæc doctrina everti videtur ex l. in omnibus 68. ff. de R. l. ubi ut privilegium sit reale, vel personale, non attenditur verborum conceptio, an in rem, vel in personam sit; sed tantum causa, cujus contemplatione concessum est; undè sit, quod si causa principalis privilegii sit persona, vel concedatur propter causam personæ coherentem, ut in l. 1. ff. de consuet. Princip. privilegium erit personale, ex diverso verò reale, si præcipua causa concedendi fuit res, vel locus; ut in specie textus in cap. sed requisitis 15. vers. sed considerandum, de testamentis. Planè si de causa non appareat, verborum tenor spectandus est, quibus privilegium conceditur; nam si concipiatur directò in rem, reale erit; si verò in personam, erit personale, ut notant omnes per textum ibi, in cap. quoniam 14. de offic. deleg. cap. mandata, de præsump. l. iuris gentium 7. §. pactorum, ff. de pactis. Quare verius dicendum esse credo, tunc personale beneficium appellari, cum ei personæ conditio locum facit, ita ut licet concedatur ob causam, & rationem, quæ in aliis quoque personis invenitur, non tamen eisdem sit tribuendum; at verò reale est, quando res seu causa ei locum facit, id est, ut

causæ ipsi tribuatur, & omnibus competat, ad quos eadem causa pertinet; quamvis ratio concedendi fuerit sola persona, ut rectè docet Suarez dict. cap. 3. Et si quæras, unde colligi possit, an personæ, an verò magis causæ privilegium detur? Respondeo, in primis consideranda esse verba, an in personam, an in rem ipsam concipiatur, d. §. pactorum. Deinde attendendam esse materiam subiectam, ut rectè explicat Suarez dict. cap. 3. num. 10. quibus suppositis, ex præsentis decisionis inferitur, adeo privilegia personalia cum persona extingui, ut nec ad hæredes ipsius privilegiati transeant, l. maritum, ff. solut. matrim. l. 1. vers. personis, ff. de iure immunit. l. 1. §. permitti, ff. de aqua quotid. l. & hædi 21. ff. de pactis. Cuiac. 26. obs. 22. Nec obstat quod vulgò traditur, hæredem eodè iure uti, quod defunctus habebat, l. hæredem 59. l. qui in jus, ff. de regul. iur. l. hæres 39. ff. de acquir. hæred. ant. n. de iure iur. coll. 5 ubi cavetur, iuramentum defuncti hæredes obstringere. Quia respondetur regulā d. legis hæredem, tantum procedere in his, quæ naturā suā transmitti possunt, non verò in his, quæ morte defuncti extinguuntur, ut sunt privilegia: iuramenti autem obligatio, an transeat ad hæredes, expostui in c. veritatis 14. de iure iur. Igitur non transeunt ad hæredes primò privilegium prælationis concessi in pro repetenda dote, in l. unic. Cod. de privil. dot. §. fuerat, 29. Insit. de act. Nec interest, quod privilegium tacite hypothecæ favore dotis inductæ in bonis mariti ad mulieris hæredes transit, l. unic. §. procedubio, juncto §. ut plenius, Cod. de rei uxor. act. quia in hac parte nobilis differentia versatur inter utrumque privilegium; nam prælationis privilegium idèò hæredibus non datur, quia mulieris personæ indulgetur, dict. §. fuerat. Cæterum tacite hypothecæ privilegium hæredibus competit, quia conjunctum est actioni ex stipulatu, & quodammodo ei inest, l. assiduis 12 §. ad hæc, Cod. qui potiores. Quam differentiam observant Barbosa in l. 1. part. 3. num. 30. & in l. post dotem, num. 57. ff. solut. matrim. Pichard. in dict. §. fuerat, num. 4.

Aliud exemplum peti potest ex l. pluribus 42. ff. de administr. iur. ubi Papinianus ait, Prælationis privilegium, quod pupillus habet contra alios creditores in bonis tutoris, de quo loquuntur textus in l. ex factis 52. ff. de peculio, l. ultim. ff. de tutela & rationibus, l. 4. §. 1. ff. de privil. credit. hæredibus pupilli non dari, ex ratione quam assignat Papinianus; quia videlicet hoc privilegium non causæ, sed personæ datum est: & explicat Gutierrez de tutel. 2. part. cap. 16. numer. 19. Thabor. in Papiniana, tit. 12. princip. 8. ubi 7. Undè etiam descendit ratio textus in l. 1 §. eisdem Princeps, ff. ad leg. Corn. de falsis, l. non solum 67. §. si pupillo, ff. de ritu nupt. Privilegium verò tacite hypothecæ, quod pupillus habet in bonis tutoris, l. pro officio 20. Cod. de administr. iur. l. penult. in quib. causis pignus, l. ultim. Cod. de legitima tutela, l. 23. tit. 13. part. 5. Marqueda in l. privilegia, num. 88. ff. de privil. credit. quia magis in rem, quam in personam concipitur, pupilli hæredibus competit, l. ultim. tit. 16. part. 6. docuerunt Gutierrez dict. cap. 16. num. 19. Molina de iustitia tract. 2. disput. 23. num. 8. Aliud etiam exemplum deducitur ex l. hæredibus 13. ff. de dolo, ubi cum in l. non decet n. ff. eod. tit. scriptum esset, privilegium parentibus & patronis competere, ut actio de dolo, utpote famosa,

famosa, contra eos liberis, & libertis non daretur, propter reverentiam & obsequium, quod eis exhibere tenentur, l. 4. ff. de in jus vocando, l. 2. l. patrens 15. ff. de obsequiis. Subsequitur in d. l. heredibus 13. actionem de dolo heredibus contra patronos dari. Aliud etiam exemplum poni potest ex l. 1. vers. planè, ff. de const. Princip. ubi docetur ea, quæ ob merita personis conceduntur, ad hæredes non transire; quod & docetur in leg. idem. 25. §. 1. ff. de pact. l. si actionem 24. C. eod. tit. Neque proximè traditis obstat textus in l. 1. §. non solum, ff. de successorio edicto, ubi privilegium à Prætorè datum liberis, & parentibus ad petendam bonorum possessionem intra annum, etiam eorum servo hæredi instituto competit; & tamen in edicto de legatis præstandis, quo Prætor conservat legata relicta liberis, & parentibus, si ab emancipato accepta sit bonorum possessio contra tabulas, non conservantur legata relicta servis eorum, l. 3. §. hoc autem, ff. de legat. præstand. In cuius differentia ratione assignanda maxime laborat Costa in cap. si pater, verbo Subrogatur, num. 36. qui ait in edicto de legatis præstandis privilegium parentum servo non dari, quia Prætor apertum testatoris iudicium erga liberos, & parètes conservare voluit, l. 1. ff. de legatis præstandis; & dominus, qui servi nomine admitti desiderat, non ex iudicio testatoris vocatur, sed potius ipse servus iudicium meruit, l. liberis 8. §. hæc verba, ff. de vulgar. l. debitor 82. §. servo, ff. de legat. 2. l. legatum 21. ff. de adimend. legat. Cæterum beneficium temporis bonorum possessionis ideo servo hæredi datur, quia licet extranei loco sit respectu tutoris, in ea tamen bonorum possessione Prætor tantum personam petentis intuetur, scilicet an is, qui petit, ex liberis, parentibusve sit; non verò quo nomine ad bona parentum, vel liberorum admitti se desideret. Quæ ratio non obscure insinuat in d. §. non solum ibi: Persona enim ea est, quæ meruit hoc beneficium.

De privilegiis parentibus concessis.

Ex præsentè etiam assertione deducitur, privilegia parentibus concessa ad filios non transire; quod etiam expressè docetur in l. semper, §. immunitati ff. de iure immunit. l. in honoribus 8. §. vacationem, ff. de vacation. muner. l. filio 6. ff. de legationibus. Probat Tiraquel. de primog. q. 40. num. 45. & q. 59. num. 20. Suarez de legib. lib. 8. cap. 11. Quod ita accipiendum est, si privilegia simpliciter dentur. Nam si non simpliciter, sed ampliori forma privilegium patri datur, veluti pro eo, & posteris, vel alio simili modo, privilegia transeunt ad filios, l. 1. §. ultimo, ff. de iure immunit. ut in casu textus in l. etiam 18. in princip. ff. solut. matrim. Quia privilegium, de quo ibi, ex juris dispositione ad filium transit, l. a suis 12. C. qui potiores; licet privilegium illud filiis dandum non esse contendat Faber lib. 8. coniect. cap. 13. Etiam privilegia ad filios transeunt ex natura rei, aut qualitate materie subiecte. Exemplum est in nobilitate, quæ ex origine, & majorum claritate provenit; hoc enim naturalis, & civilis ratio exigit ad filios derivari, l. 1. l. Senator. 11. C. de dignit. lib. 12. l. Senatori 6. l. liberos 10. l. Senatoribus 15. ff. de Senator. Explicant Tiraquel. de nobilit. cap. 15. num. 1. Garcia eod. tract. gloss. 7. num. 17. Chailancus in catalog. part. 8. consider. 24. Azevedus in l. 1. tit. 1. num. 85. lib. 6. recopil. Idem de privilegiis professoribus, & militibus concessis cavetur in l. milites, C. de professoribus, lib. 10. l. 1. & 2. C. qui ante professionem eod. lib. 4. C. de D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

privil. scholast. lib. 12. latè illustrant Altamirani ad tit. de official. filijs, Didacus Perez in l. 1. tit. 1. lib. 4. ordin. Petrus Barbosa in l. quia tale, n. 42. ff. solut. matrim. & si privilegium etiam pro liberis conceditur, ad posteros cujuscunque gradus transit, l. liberos 10. ff. de Senatoribus, l. 3. ff. de veteranis: nisi in ipso privilegio generationes restringantur, veluti ad trincepotes, ut in l. D. Marco 55. ff. de quest. l. filii 22. §. Senator, ff. ad municip. l. 1. C. de privil. eorum qui in sacr. palat. lib. 12. Eodem modo ratiocinandum est de privilegiis maritis concessis, quæ regulariter uxoribus non communicantur, l. quod Principi 56. l. si Augusta 57. §. de legat. 2. l. Princeps 31. ff. de legibus junctis traditis à Donello lib. 8. comment. c. 28. Amaya lib. 1. observ. cap. 1. num. 103. & cap. ult. vers. Nec aliquis, de offic. deleg. in 6. cap. ne aliquis 5. vers. illis, de privileg. eod. lib. docent Petrus Barbosa in l. quia tale, num. 22. Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 47. num. 1. Suarez lib. 8. de legibus, cap. 11. num. 1. ut etiam contingit marito respectu privilegii mulieri concessi. Molina de justitia disp. 423. num. 6. Castillio lib. 3. controv. c. 4. n. 3. Quod si non simpliciter marito privilegium concedatur, sed ampliori forma, tunc etiam uxori competit, ut cavetur de uxoribus militum in l. 1. C. de uxor. milit. de uxoribus clericorum in l. 2. C. de Episc. & cleric. de uxoribus silentiariorum in l. 4. C. de silentiaris, lib. 12. & de uxoribus Fabricensium in l. eos 6. C. de Fabric. & de uxoribus scholarium in l. 3. C. de privil. schol. Quod præcipuè procedit in nobilitate & dignitate virorum, quorum radiis mulieres conulcare, & eorum privilegiis potiri constat ex l. femina 8. l. nupta 12. ff. de Senator l. si liberta 28. C. de nuptiis, l. medico 6. l. Grammatico 15. C. de professor. l. 3. tit. 15. partit. 2. l. 7. tit. 7. partit. 4. l. 9. tit. 11. lib. 2. Recopil. latè illustrant de uxoribus Professorum, Militum, Equitum, & familiarium, Tiraquel. de nobilit. cap. 18. num. 1. Pichardus integro tract. de nobilit. communic. Osualdus lib. 13. Donel. cap. 21. fusè Parexa de instrum. edit. tit. 2. resol. 6. specie 8. per tot. Nec supra traditis obstat textus in l. 1. C. de in jus vocando, ubi pœnam impostam libertò in jus patronum vocanti sine venia, locum habere in vocante ejus uxorem docetur. Nam respondetur id non provenire ex communicatione privilegii mariti in uxorem, sed potius ex generali regula relata in l. generaliter, ff. eod. tit. quæ cavetur omnes personas, quibus reverentia præstanda est, sine venia in jus vocari non posse; in quarum numero uxorem haberi apertè docetur in d. l. 1. ubi non rectè Acursius, quem sequuntur Bartolus, Baldus, & Castrensis, docet maritum patronæ sine venia in jus vocari; sed malè, nam quis ferat æquo animo, ut maritum, quem patrona colit, non teneatur & ejus libertus venerari, ut considerat Cujac. in lib. 10. observ. cap. 10. præsertim quia durum videtur, marito patronæ non deberi reverentiam, quam privigno, & extraneis heredibus libertus exhibere cogitur, l. neque 7. C. de obseq. l. 4. §. adversus, ff. de doli mali, juncto cap. debitum, de bigam. prosequitur Alciatus in d. l. 1. n. 28. ubi rectè docet, non favere Acurlio legem liberti, C. de oper. libert. quoniam magna est differentia inter operas, de quibus loquitur textus ille; & obsequium, seu reverentiam, de qua in dict. l. 1. facilius quippe operarum exactio denegatur, quam in jus vocatio sine venia permittitur. Nec etiam supra traditis obstat textus in leg. non tamen 20.

de re iudic ubi privilegium, ne quis conveniatur in solidum dotis nomine, vel ex aliis contractibus, porrigitur ad mulierem. Nam omisso Cujacio lib. 24. obs. cap. 38. & lib. 2. different. Modest. ibidem, qui extremam clausulam illius textus adscribit Triboniano, quem merito refellit Osualdus lib. 27. comment. cap. 9. dicendum est cum Petro Barbosa in l. maritum, ff. solut. matrim. Donello d. cap. 9. quod licet privilegium illud marito competat ratione reverentiae illi debita, non tamen illa ratio sola privilegium illud extorset, sed & alia, videlicet societas communis vitae, l. ex diverso 17. §. 1. ff. solut. matrim. l. si verum §. 2. ff. de re iudic. Quae ratio cum pariter locum habeat in viro, ac in uxore, ideo privilegium quod marito conceditur, etiam uxori competit, propter aequalitatem inter eos servandam.

6. Quibus suppositis ratio praesentis assertiois provenit ex natura privilegii, quod cum sit privata lex, quae particularibus, non vero omnibus ex populo indita, aut statuta est, ideo ad alios non extenditur, quam ad eos, quibus concessum est, cap. hinc est 39. vers. Quod privilegium, l. 7. q. 1. cap. non exemplo 26. q. 2. Accedit, quod privilegium essentialiter illud habet, quod contra jus commune aliquid statuat, concedaturve in eo: quare quatenus à jure communi exorbitat, odiosum censetur, & ut tale dubio procul restringendum est, non ampliandum, cap. 1. de filiis Presbyr. lib. 6. l. quod vero, l. jus singulare, ff. de legibus, l. si vero 64. §. de viro, ff. solut. matrim. Illustrat pluribus relatis Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 1. num. 38. & notavi supra in cap. 7. unde recte in praesenti deprecavit Alexand. III. alienum esse à ratione, ut quod speciali beneficio alicui indultum est, ad alios protrahatur, etiam ex identitate rationis.

7. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam etsi beneficium restitutionis pro personali habentur dubium sit, ut probat Arnoldus Vinius lib. 1. select. ranti rati- cap. 11. contra Mauritium de restit. cap. 15. Menochium de praesump. casu 103. num. 18. Mysing. cent. 4. obs. 19. qui reale esse docuerunt, tamen ad haeredes transit, tum quia hoc privilegium non solum persona, verum & causae datum est: quippe minor non statim restituitur, eo quod minor est, sed si ab aliis circumscriptus proponatur, vel sua facilitate deceptus proponatur, l. verum 11. §. sciendum, l. quod si minor 24. §. non semper, l. non omnia 44. ff. de minor. l. nam postea 9. §. si minor, ff. de iurejur. Et ideo ad haeredes transit: tum quia restitutio in integrum non competit minoribus jure privilegii in specie sic dicti, aut tanquam jus aliquod singulare, sed magis tanquam remedium juris communis, & quod instar est actionis ordinariae; non enim ex mera tribuitur gratia, sed ipsa quoque iustitiam, & equitate dictante. Quam ob causam etiam favorabile censetur. Sfortia de in integrum restit. p. 1. q. 1. art. 14. & q. 50. art. 1. ideoque sicut alia remedia personalia ad haeredes transeunt, §. 1. Instit. de perpet. & tempor. ita & hoc. Sed ita demum beneficium ad haeredes transit, si in vita minor deceptus beneficium hoc impetravit, l. nemo §. ff. de in integrum restit. quia cum hereditate transit ad haeredem. Sfortia 1. p. q. 50. num. 8. Unde signanter in l. Thia 62. vers. Item, ff. de iure dotium, l. unic. C. si adversus dotem, l. 2. C. de tempor. in integr. restit. affirmatur hoc beneficium haeredibus ita demum

dari, si ipsi ex persona minorum implorent. Quo modo etiam procedit textus in l. 3. vers. Sed utrum, ff. de minor. Nec tunc obstat textus in l. Paonius 86. ff. de acquir. heredit. ubi defuncto Paonio, licet Reipublicae causa absenti restitutio in vita sua competeret, tamen decessit intra tempus, quo agere poterat. Et asserit Consultus, restitutionem esse dandam haeredi. Qui textus difficilis etiam est ex l. 1. C. de restit. milit. ubi in simili specie non aliter haeredi restitutio conceditur, quam si defunctus decessit post exactum tempus petendae bonorum possessionis. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt Faber lib. 14. conject. cap. 1. Hothomanus lib. 7. conject. cap. ult. alii relati à Barbosa in d. l. cum tale: quibus omnibus dicendum est, in specie illius textus discrimen constituendum esse, an haeres institutus post tempus additionis decesserit, an antea. Primo casu restitutio, quae ad hereditatem acquirendam competebat, ad haeredem transmittitur, l. 1. C. de restit. milit. secundo vero casu, si intra tempus decessit, mero civili jure ejus haeredi beneficium non datur, d. l. Paonius: cuius juris stricti rigorem ut laxaret D. Pius, constituit defuncto absente Reipublicae causa, antequam sciret delatam sibi esse hereditatem, restitutionem dari haeredi, nullam admittit distinctionem, an intra, vel post diem additionis decesserit humanitatis causa ductus, d. l. Paonius. Cuius explanationem latius prosequuntur Larreategui lib. 2. select. D. Joseph de Retes lib. 7. opuscul. de commorientibus, num. 13.

Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex d. l. haeredes, C. ad Velleian. pro cuius solutione sciendum est, valde controversum esse an exceptiones, quae competunt reo, competant etiam ejus fideiussori? Et cum communi Interpretum placito discrimen est constituendum inter exceptiones reales, & personales. Exceptio realis dicitur quae licet competat ex persona rei principalis, dirigatur ad extruendam obligationem ipsam Personalem dicitur, quae eximit personam obligatam, vel ad tempus, vel in perpetuum; sed non perimit obligationem. Itaque regulariter exceptiones reales prosunt fideiussoribus, & regulariter exceptiones personales illis non competunt. Quae distinctio probatur quoad utramque partem, ex l. exceptiones 7. §. 1. l. omnes 19. ff. de except. l. defensiones 11. C. eod. tit. l. ex persona 32. ff. de fideiuss. late probant Valentin. Francus de fideiuss. cap. 3. §. 2. num. 20. Hering. eod. tract. cap. 27. p. 4. Aretinus eod. tract. 2. p. principali. sect. 9. & 27. Donel. lib. 22. comment. cap. 3. & sequent. ubi Osualdus, Faber lib. 8. conject. cap. 3. Cujac. lib. 28. qq. Papin. in l. §. ff. ut legatorum nomine, Valentina lib. 1. illustr. tract. 4. cap. 9. ex num. 7. Salgado in labyrinth. cred. 2. p. cap. 30. ex num. 30. qui exemplis veritatem hujus distinctionis late probant, & iuxta eam accipiendi sunt textus in l. in causa, l. 1. ff. de minor. l. 1. §. quod si, ff. quarum rerum actio, l. final. ff. de pact. l. si minores, ff. de procurat. ubi Faber, l. si pupillus 89. ff. de acquir. heredit. leg. Marcel. 25. leg. cum lex 46. ff. de fideiussor. leg. §. de liber. legat. leg. 37. de oper. libertorum. Unde cum exceptio Velleiani elidat ipsam obligationem, ex aequitateque mulieri competat, etiam beneficium fideiussori datur, alias frustra daretur mulieri hoc beneficium, si fideiussori etiam non competeret; siquidem a ctione mandati fideiussor ab ea repeteret, quod

quod reus ipse assequi non poterat. De beneficio in integrum restitutionis fideiussori competenti ex persona minoris, agit Vinius lib. 1. select. cap. 11.

CAPVT X.

Cœlestinus III. ^a *Abulen. Episcopo.*

Potentibus literis nostris certificari desideras, utrum Templariis, Hospitalariis, & aliis oratoria habentibus in domibus suis liceat campanas in eisdem ponere, publicè que pulsare. Respondemus autem consultationi tuæ, quam facis & dicimus, quod non licet eis hoc facere, quin potius per te ap. rem. coercendi sunt censurâ ecclesiasticâ, ut ita sint fuo iure contenti, quod iustitiam non impediunt aliorum.

NOTE.

^a **A** *Balensi.*) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Abulensi dicecesi nonnulla adduxi in cap. 5. de supplenda. In presenti consuluit Episcopus Abulensis Cœlestinus III. super campanis permittendis, vel non in oratoriis Templariorum, quia his temporibus Templarii habebant Eremitoria, & Ecclesias in dicecesi Abulensi, quarum aliquæ hodie persistunt, & in ipsâ urbe Abulæ extat Ecclesia D. Marie sub nomine de Balmoneda; quæ fuit Templariorum.

^b *Oratoria.*) Non solum fideles olim habebant oratoria in domibus privatis orandi gratiâ, de quibus agitur in cap. oratorium, cum sequenti, 42. dist. cap. clericos 34. de consecrat. dist. 1. ibi: Clericos qui ministrant, vel baptizant in oratoriis, que intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci hoc facere precipimus. Et cap. unicuique, ead. dist. Concil. Carthag. 2. can. final. Regiense can. 4. Aurel. 4. can. 7. & 26. de quibus plura Vicecomes volunt. 3. de Missæ ritibus, lib. 2. cap. 12. & 23. Fornerius lib. 6. rer. quotid. cap. 6. Herodius lib. 1. Pandect. tit. 2. cap. 13. Petrus Greg. lib. 13. de Repub. cap. 4. n. 5. & lib. 1. parit. tit. 20. cap. 2. Vighel. in metodo juris can. fol. 406. & 409. Pancirola lib. 2. variar. cap. 168. Suárez de sacram. q. 83. disp. 81. art. 3. sect. 1. Mendo in Bullam disput. 16. Cujacius ad Novel. 58. iustin. Diana. p. 9. tract. 1. verum in agris, & suis possessionibus plerumque oratoria extruere curabant, ut ibi Missæ sacrificium, divinaque officia celebrarentur: de quo oratoriorum genere agitur in Concilio Aurelian. 4. can. 33. ibi: Si quis in agro suo, aut habet, aut postulat habere presbyterum, dicecesim primum, & terras ei deputat sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur. Ubi nomine dicecesis oratorium intelligi docuit Lemaitre lib. 2. de iuribus Eccles. cap. 5. & D. Gregorius lib. 2. epist. 9. ita Ariminensi Episcopo scribit: Timothea illustris femina petitoria nobis in sinuacione suggestit, quod habetur in subditis, intra civitatem Ariminensem in loco juris sui oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari: & ideo, frater charissime, sin tua civitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, perceptâ primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, exceptâ familiâ, prius mobilia, vel immobilia, sequæ moventium unius octo, & centeno sibi usufructuario diebus vite sue, & ge-
stisque municipalibus alligatam, prædictum oratorium
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

abque Missis publicis solemniter consecrabis. Et in Concil. Agathæ. can. 21. ibi: Si quis extra parochias, in quibus legitimus est, ordinariusve conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitibus, ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familie, iusta ordinatione permittimus: Pascha vero, natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & natalem sancti Ioannis Baptistæ, vel si qui maxime dies in festivitibus habentur, non nisi in civitatibus, aut in parochiis teneant: clerici vero si qui in festivitibus, quas supra diximus, in oratoriis, nisi iubente, aut permittente Episcopo Missas facere, aut tenere voluerint, à communione pellantur. Illud tamen summe cavebatur in his oratoriis, ut reliquæ martyrum in eis non ponerentur, nisi essent clerici in eis ordinati, aut propè, ut hymnis quotidianis inservire possent. Concil. Epauin. can. 25. ibi: Sanctorum reliquæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cuiuscunque parochie vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Quod si illi defuerint, non ante proprii ordinentur, quam eis competens victus, & vestitus substantia deputeretur. Illustrat Lemaitre lib. 2. de iuribus Episcoporum. cap. 4. & 5. Sic etiam monachi intra propria monasteria cœperunt sibi oratoria construere, ut doctè probat Gibalin. de clausura regul. disquisit. 1. cap. 2. §. 2. Et Ecclesia clericorum dicebatur, oratorium verò monachorum, ut probat Menardus ad concord. regul. cap. 59. §. 1. Bravo in notis ad regul. D. Benedicti, cap. 52. à quâ præcipua monasterii parte cœperunt monasteria ipsa oratoria appellari, ut probavi in cap. .

Construebant etiam monachi oratoria in Prioratibus, & minoribus domibus, ut constat ex capite final. de censibus: de his oratoriis, que habebant Templarii, & Hospitalarii in dicecesi Abulensi, agitur in presenti.

COMMENTARIUM.

Ex hoc textu communiter sequens deducitur assertio: In oratoriis religiosorum campana poni non debent. Non est alia similis decisio; quæ probatur. bari possit præsens decisio; eam tamen explicent, & illustrent ultra congestos à Barbofa in presenti, & lib. 2. voto 102. Gibalin. de clausur. regul. disquisit. 2. cap. 2. §. 2. Mayolus dierum canicularium verbo Metalla, fol. 315.

T i

Circulus

Cironius *ad tit. de statu monach.* Tondutus *resol. canonic. cap. 2. §. num. 14.* Narbona in *horograph. in antiloquo. num. 140.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 2. disput. 14. q. 15.* Angelus Rocha in *tract. de campanis. cap. 16.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 24. num. 130.*

4. *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in presentem decisionem ita infurgo: Campanarum usus ab Ecclesia receptus jam, diuque approbatus fuit ad varios effectus spirituales his versibus comprehensos,

Laudo Deum summum, plebem voco, congrego clericum;

Defunctos ploro, nymbum fugo, festa que honoro.

Quos sonitus, & campana effectus probant & illustrant Herrera in *orig. divin. offic. lib. 1. cap. 8. num. 2.* Hieronymus Magius *lib. 4. miscel. cap. 14.* Igitur & in oratoris monachorum poni debent, præcipue cum ibi celebrentur divina officia. Augetur hæc difficultas ex variis Pontificum decisionibus, in quibus supponitur, monachos in suis monasteriis campanas habere, ut in *cap. nimis. de excess. prel.* ubi inter alios Episcoporum excessus in religiosos, & ille refertur, videlicet quod non sinebant monachos campanas in propriis Ecclesiis habere; & in *cap. in causa. de elect.* refertur quod quando Episcopus Castellanus accedebat ad monasterium sancti Gregorii, pulsabantur campanæ monasterii. Et Innoc. III. *lib. 1. registr. epist. 297.* ait ruptos fuisse funes campanarum in monasterio Flayinensi, ne Abbas Flayinensis duceretur ad Ecclesiam, ibi: *Ne possent ad Ecclesiam ducere, fores Ecclesie clausa sunt, ruptis fumbus campanarum.* Igitur quia in monasteriis, seu eorum Ecclesiis, & oratoris campanæ poni possunt.

5. *De campanarum usu & origine.* Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, faventibus tyrannorum persecutionibus fideles convocari solitos ad synaxim, & divina officia, per cursorem, cui incumbebat Christianos ad certam horam, quæ sacris operandum erat, convocare, cuius officii mentionem facit sanctus Ignatius, qui obiit anno 93. *epist. 13. ad sanctum Polycarpum*, ex qua constat, Diacono inter alia illud injunctum fuisse munus, ut attenderet diligenter ad sacram communionem, & non omitteret, quin nominatim convocaret Christianos ad Ecclesiam. Nec assentio Amalario Fortunato *de officis ecclesiasticis cap. 21.* qui refert tempore persecutionis Christianos vocari solitos ad synaxim sonitu lignorum, ut fit hodie tribus ultimis diebus majoris hebdomadæ; nam nec ratio patitur, ut cum hæc illis secretius agenda curarent, tanto lignorum strepitu Gentilium aures, & oculos in se converterent. At post redditam Ecclesie pacem tintinnabulorum sonitu, quæ postea provincia, ubi primò ceperunt grandiora fieri, campanæ sunt appellata, ut refert Walfriidus Strabo *de rebus Ecclesie cap. 5.* populus ad Ecclesiam vocari consuevit, sicut & Gentiles sonitu tintinnabuli ad thermas, & operas convocasse homines certum est ex Martiali *lib. 4. Epigram. Juvenal. satyr. 6.* Luciano *de mercede conductæ*, Seneca *epist. 95. de brevitate vite.* Usus campanarum (quæ sunt vasa ænea, in Nola civitate provincie Campanie in Italia primò grandiora fusa) tribuitur sancto Paulino coævo sancti Hieronymi, qui floruit per annos 380. Unde patet ritum antiquiorem esse Sabiniano Papa, qui floruit per annos 604. cui Cia-

conius, Genebrardus, Polydorus Vergilius tribuunt inventionem campanarum: neutri, scilicet nec Episcopo Nola, nec isti competit talis usus inductio; nam Gentiles ante Christum jam campanis uti fuerunt, ut probant Angelus Rocha in *tract. de campanis*, Demsterus *ad Rosinum lib. 2. fol. 134.* statuto tamen speciali edixit Sabinianus Pontifex, pulsandas esse campanas ad sacrificium Missæ, & horas canonicas, ideoque harum auctor vulgò agnoscitur; quare & post ejus sæculum mentio campanarum frequentius apud scriptores habetur. Audoenus in *vita s. Eligii lib. 2. cap. 21.* anno Christi 650. miraculum refert de campana, quæ ad iussionem Episcopi siluit, nec sonum aliquem reddidit. Vener. Beda scribens in septimo sæculo distinctionem affert pulsationis campanæ, quæ ad orationes convocari solebant fideles, ab illa, cum quis eorum deceffisset. Aleuinus *de divin. offic. rationem tradit*, cur non pulsentur campanæ in diebus passionis Christi, quia videlicet prædicatores eo tempore siluerunt. Baronius *anno 616.* ostendit usum campanarum in Occidente frequentem fuisse; in Oriente verò usum earum invaluisse tempore Michaëlis Imperatoris, cui Dux Venetie campanas misit anno 865. Orientalis sanè ferius eum usum admiserunt, nam in 7. *Synod. act. 4.* ex libro miraculorum S. Anastasi Martyris refertur, Christianos Cæsareenses cum desereretur Sancti illius reliquæ, obviam illis factos summam cum latitâ sacra ligna pulsasse. At in Occidente longè antè usurpatæ sunt, nam in actis S. Lupi Senonensis, qui anno Christi 600. florebat, mentio extat grandis tintinnabuli, cuius erat usus in Ecclesia Senonensi. In jure etiam mentio earum fit in *cap. in causis. de elect. cap. 10. annes, de homicidio. cap. nimis. de excess. Prelat. cap. final. eod. tit. in 6. Concil. Rayennat. 2. tempore Clement. V. rubric. 8. Statuimus, quod de cetero campanæ, quæ sunt de novo, benedicantur ea solemnitate, quæ in Pontificali inscribitur in Ecclesiis Cathedralibus, civitatibus singulis, & collegiatis, & plebibus, & conventualibus singulis diocesium.* Plura de campanarum inventione, & benedictione, quam heterodoxi baptismum dixerunt, congesserunt Carrier. *tom. 2. digest. fidei. fol. 617.* Kochier in *face histor. cent. 2. cap. 26.* Simon Majolus *dier. canicul. verbo Metalla.* Lantæmeter. *lib. 2. de veteri clerico. cap. 63.* Suarez *adversus Regem Anglie lib. 2. cap. penult.* Demsterus *ad Rosinum lib. 2. fol. 34.* Narbona in *horographia. in antiloq. num. 140.* Novarinus *lib. 1. schediasm. c. 27.* Andreas Saufay in *panopl. sacerdot. p. 2. lib. 2. cap. 6. artic. 22.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 24. per tot.* Grethierus *de bened. lib. 2. cap. 45. & 46.* Suarez *tom. 2. pro defens. fidei. cap. 16.* Jodocus Coccius *tom. 2. thesaur. lib. 3. art. 6.* Durantius *de ritibus Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 6.* M. Delrius *lib. 6. disquisit. magic. cap. 2. sect. 3.* Cardin. Osius *lib. 5. contra Brentium*, ibi: *Baptizari campanas mihi inauditum est: benedicuntur quidem juxta formam in Pontificali Romano præscriptam; verum de baptismo nec verbum.*

6. *De campanarum usu apud monachos.* Deinde sciendū est apud monachos moris fuisse per varia signa ad synaxim, & officia divina eos convocare. Et primò tuba eos congregatos fuisse constat ex sancto Pachomio in *regula. num. 2.* ibi: *Quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui una oratione tardius venerit, increpabitur.* Similiter apud Climachum *gradu 18.* legitur: *Cum insonuerit signum spiritualis tube. Quam corneam fuisse, & inventam ad similitudinem earum, quas Dominus fieri iussit*

justit, Numeror. cap. 10. vers. 2. ibi: Fac tibi duas tabulas argenteas ductiles, quibus invocare possis multitudinem, docuerunt Gazeus in notis ad regulam sancti Pachomii, & B Hapthenus disquisit. monast. lib. 7. tract. 3. disquisit. 2. Bravo ad regulam D. Benedicti, cap. 37. Deinde vocari ceperunt tabulis, malleo, aut lignorum collisione Cefareus lib. 1. hist. cap. 40. de S. Virgine Hildegunde, ibi: Percussit tabulam, cum tam Abbas, quam ceteri fratres ad ejus exequias convolassent, & corpore exportato ad lavandum detectum fuisset, sexus femineus apparuit. Et lib. 6. cap. 36. ibi: Interim percussa tabella conventus accurrat, morientem circumstret, dicitque litaniam sacerdos defunctus totus, & vestitus cum solenni cantu deportatus est in oratorium. Notavit Zerda in advers. cap. 44. num. 22. qui usus diu duravit forsan propter egestatem monachorum & metalli penuriam. Qua etiam ratione in Ecclesia idem etiam usus diu invaluit. Synodus Nicaen. act. 4. ibi: Cum sancta civitati reliquie sanctae appropinquassent, surgentes subito, lignaque sacra pulsantes, invicem obviam facti sunt in veneranda Virginis Deiparae ade, que appellatur nova; illic cum cruce & supplicatione egressi, leti, & gaudentes cum gratiarum actione sacris reliquiis occurrerunt. Amalarius Fortun. lib. 4. de ecclesiasticis officiis, c. 21. ibi: Potest & in hoc humilior usus Ecclesie Romana assignari antiquis temporibus quam nunc sit, & precipue tunc, quando latitabat per cryptas, propter perfectiores: nam & adhuc junior Roma Constantiopolis, que antiquis temporibus sub uno Domino cum antiqua Roma regeratur usum lignorum tenet, non propter aris penuriam, sed propter vetustatem. Tandem tintinnabulis ceperunt congregari, ut refert D. Hieronymus lib. 2. advers. Iovin. ibi: Cum ingressi domum fuerint, ad tintinnabuli pulsam preces effundunt: quod ubi fecerunt, signo itidem dato ministri, & c. D. Benedictus cap. 43. sua regula, ibi: Ad horam divini officii mox ut editum fuerit signum, relicti omnibus quelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur. Ubi Petrus Boerius ait, signum campanae in antiquis cenobiiis monachorum, vel fractum fuisse, vel perforatum, ut sonum emitteret terribilem, idque ut monachi recordarentur terribilis illius vocis: Venite ad iudicium. Vel in signum ait, quod sumus de ordine B. Benedicti, cujus tintinnabulum diabolus jactu lapidis fregit.

7. Traditur ratio decidendi.

His suppositis ratio presentis decisionis ex eo provenit, nam cum oratoria monachorum non alia de causa construerentur, quam ad laudes Deo persolvendas, ut expressit Gregorius III in erectione monasterii sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, & Chrysogoni, ibi: Ad persolvendas Deo laudes, diurnis, & nocturnis temporibus ordinatas; Ecclesie vero seculares tum docendo populo, tum administrandis sacramentis plebi usui erant,

quibus ministeriis monachi inservire non valebant, Concilium Parisiense sub Ludovico cap. 46. Concil. Ravennat. sub Calixto II. can. 27. Gregorius VII. in Synodo Romana, can. 6. cap. illud, cum aliis, 16. q. 1. ideo licet in Ecclesiis secularibus campanae ponantur ad convocandum populum, tamen in oratoriis monachorum, quia haec ratio cesset, ideo campanae poni non possunt. Accedit, quia campana juris parochialis signum est; unde Presbyteri, qui alicui Ecclesie incardinantur, per funem campanae investuntur. Innoc. III. lib. 1. registr. in epist. ad Nivernen. Episcopum. Et cum Missae publicae olim in monasteriis non dicerentur, nec campanam ad populum convocandum monachi habere debebant. Quare idem Innocent. III. lib. 3. registr. in epist. ad Antipolitanum Episcopum prohibet monachis Lerinensibus aquae benedictae asperisionem, processiones, & litanias, baptismum, sepulturam, campanarum pulsationem antequam in Ecclesia parochiali fuerint pulsatae: notarunt Cironius ad tit. de stat. monach. Gibalin. d. 5. 2. n. 4. Unde recte Pontifex in presenti decrevit, Templarios, Hierosolymitanosque non posse in oratoriis suis campanas habere, quia cum ea construxerint tantum orationis gratiam, non poterant convocare populum ad sonum campanae.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam cum olim monachi in suis Ecclesiis Missas publicas dicere, aut Sacramenta administrare non possent, cap. iuxta 11. 16. q. 1. ideo nec campanae ad congregandum populum uti poterant. Nec obstat textus in d. c. nimis, cui ut satisficiant communitate repetentes in presenti asserunt, monachos in suis oratoriis campanam habere posse, ex d. cap. nimis, non vero campanas, ut in presenti docetur. Quae solutio aperte convincitur ex dicto capite in causa de elect. ibi: Campanis. Quare hac omnia solutione dicendum est in dicto c. nimis, & aliis juris locis supra expensis agi de Ecclesiis eorum monachorum, quibus concessum erat publice missas dicere, ac fidelibus sacramenta Penitentiae, & Eucharistiae ministrare: quibus per consequens concessum videtur campanam publice pulsare ad fideles convocandos: at vero in oratoriis privatis peculiariter orationis gratiam constructis, quia fideles vocandi non erant, ideo campanas ipsi ponere nequebant. Tandem Ioannes XXII. in extra. pag. 2. de offic. custod. permittit mendicantibus Religiosis unam tantum campanam habere, ibi: Hoc perpetuo edicto ordinamus, quod religiosi dictorum ordinum mendicantium in nullo conventu suo, seu loco plures campanas habeant sine Sedis Apostolicae licentia speciali, sed una tantummodo pro loco quolibet sint contenti. Cui constitutioni generali consuetudine derogatum esse jam notarunt Alciatus lib. 8. parerg. c. 11. Alii apud Barbosam dicto voto 102. n. 62.

8. Dissolvitur dubitandi ratio.

CAPVT XI.

Innocent. III. Archiepiscopo a Lundensi.

TVARUM nostenor edocuit literarum, quod Fratres Hospitalis sancti Ioannis laici, & illiterati ad partes illas mittuntur pro elemosynis colligendis, quas populus ex devotione pro sustentatione pauperum praedicto loco mittere consuevit. Quia vero per se non sufficiunt loca omnia circumire, sibi clericos, sacerdotes, laicos & rudes, non religiosos, sed in nequitia exercitatos assumunt, eorum peccatoribus

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

T t 3

crucis

crucis characterem imponentes. Cumque gula, & ebrietati deserviant, se valde inhonestos in aliis ostendentes, clerum, & populum graviter scandalizant, cum ipsi laici ^b Prioratum fungantur officiis, & tam clericis, quam sacerdotibus præponantur; & non solum Episcopis inobedientes existunt, verum etiam quasdam immunitates, tanquam sibi ab Ap. Sede indultas præsumunt sibi temerè vindicare. Cui enim in quadam Ecclesia baptismali eis à tuo prædecessore collata, quidam nuper percuciens Vicarium sacerdotem, ipsam Ecclesiam defœdasset sanguinis effusione, usque ad reconciliationem divina ibidem interdixisti officia celebrari; sed nihilominus ipsi in ea divina celebrarunt: sacerdotes in super undecunque venientes, ac eos, de quorum conversatione, ac ordinatione nulla certitudo prorsus habetur, ad divinum sibi officium celebrandum ^d recipiunt, Episcopi assensu minimè requisiti. Alios verò Presbyteros ab officio suspensos per Episcopos suos pro suorum exigentia meritorum, iidem, cum sint laici, ad officia ^e restituumt exequenda. Quidam præterea cum uxoribus suis in domibus propriis commorantur; & illos quidem, eo quod eis de suis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt, ut aliis secundum leges terræ de sibi subjectis respondere minimè teneantur. Verum quia privilegium meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate, f. t. per A. f. m. quat. si quos clericos, seu sacerdotes, aut laicos à prædictis fratribus pro colligendis elemosynis cruce falsa signatos inveneris, iis, à quibus ipsos missos esse se constiterit, per totam provinciam tuam, nostra fretus auctoritate, exhortationis huiusmodi officium interdicas: laici si fuerint, etiam missos excommunicationis mucrone percillas; si clerici, vel Presbyteri fuerint, vel ab officio suspendas, nullo prorsus privilegii beneficio, vel ap. remedio prevalente. Eos verò quos in prædicta Ecclesia lege tibi diocesanea subjectos post interdictum tuum divina celebrasse cognoveris, eisdem pœna & suspensionis involvens, in ea, donec reconciliata fuerit, quemadmodum sacra præcipiunt instituta, officia non permittas divina celebrare: Presbyteros etiam suspensos ab Episcopis suis, & prædictos fratres ad officia sua temerè restitutos, in eandem suspensionis sententiam nostrâ fretus auctoritate reduces: alios verò, quos ad respondendum aliis secundum legem terræ, præmissâ causâ asseris non teneri, nolumus excusari, quin eos ad respondendum, sub. ap. impedimento compellas. Datum ut suprà.

NOTÆ.

1. ^a **Lunden.**) In hac sexta collectione legitur *Lugdunen.* in tertia *sub hoc tit. c. 1.* legitur *Linden.* sed in ipso Registro epistolarum Innoc. correcto à Sirleto, *fol. 223.* legitur *Lundenf.* ex quo restituo præsentem textum. De Lundenf. Ecclesia nonnulla adduxi in *cap. 2. de consuet.*
2. ^b **Prioratum.**) de quibus Prioratibus, & eorum Priorum jurisdictione plura congeserunt *Valascus consult. 192. num. 11.* Marius Giurba *const. 77. n. 17.* Carleval. *de iudiciis lib. 1. tit. 1. disp. 2. n. 451.* Mendo *de Ordinibus Milit. disquisit. 2. q. 2. n.*

^c 8. Scanno in propugnaculo huius Ordinis, *disp. 2. cap. 4. per tot.*

^c **Celebrarunt.** Cum esset polluta per violentam sanguinis effusionem, juxta traditam *cap. 3. de consecrat. Eccles.* Eundem casum narrat *Gull. Tyr. lib. 18. cap. 3.*

^d **Recipiunt.**) Contra traditam in *cap. 1. de clericis peregrinis.*

^e **Restituunt.**) Cum suspensus, aut excommunicatus ab uno Prælate, non debeat ab alio recipi, ut probavi in *c. ad reprimendam, de offic. Ordin.*

^f **Suspensionis.** Iuxta traditam in *cap. final. de excess. Prælat.*

CAPVT XII.

Idem R. Abbati & conventui S. Petri ^a Eugubini.

Cum olim essemus apud Perusum constituti, tu fili Abbas ad nostram præsentiam accessisti, privilegium bonæ memoriæ ^b Lucii Papæ præd. n. nobis humiliter representans, & postulans illud suppliciter innovari, quod propter contradictionem ven. f. n. ^c Marci Eugubini Episcopi, qui tunc temporis supervenit, asserens hoc in suum præjudicium redundare, non fuit effectui mancipatum. Cumque alter vestrum de altero in nostro auditorio quereretur, ven. f. n. Aflinatis Episcopo causam sub ea forma commisimus audiendam, ut vos, & jam dictum Episcopum curaret ad concordiam revocare. Alioquin audiret utrumque proposita, & omnia in scriptis redigens, nobis processum negotii fideliter referret. Qui cum indulta vobis à Sede

Apolito-

Apostolica privilegia inspexisset, intellecto quod monasterium vestrum ad Romanam Ecclesiam specialiter pertineret, in causa non duxit ulterius (sicut accepimus) procedendum. Consequenter vero ad ven. f. n. Callen. Episcopum, & dilectum filium Ar. Abbatem S. Mariæ Vallisfontis, ad postulationem præfati Episcopi Eugubini literæ nostræ fuerunt super mutuis quæstionibus destinata. Sed quia pendente iudicio Ioannes monachus privilegia, chartas alias, & thesaurum monasterii vestri rapuit, te, Abbas, ad nostram oportuit præsentiam iterum laborare, ubi literas impetraisti, quod per excommunicationis sententiam, qui de amissione privilegii scirent aliquid, cogentur dicere veritatem. Sed quoniam nec sic amissa potuisti privilegia reperire, ad nos denuò es reversus. Te igitur cum testibus tuis, & præfati Episcopi Eugubini procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilecto filio nostro P. Basilicæ XII. Ap. Presbytero Cardinali dedimus in mandatis, ut super amissione, ac tenore privilegiorum testes reciperet diligenter, quos duceres producendos. Qui mandati nostri diligens executor præsentibus præfatis procuratoribus fideliter redegit in scriptis depositiones x. testium juratorum: quorum depositionibus publicatis, iam dicti procuratores ad producendos testes Episcopi, per quos inductos à parte adversa repellerent, inducias postularunt, quas præfixo termino peremptorio sub eo tenore illis duximus concedendas, ut apud Ap. Sed. probarent quæ vellent, nisi onus probationis pars altera subiisset. Caterùm quoniam infrà datum terminum, & receptum in producendis testibus defecerunt, nos tamen tam per depositiones testium, quàm per assertiones quorundam f. n. liquidò cognoscentes, talem dicti privilegii fuisse tenorem, quod videlicet ipsum cœnobium nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertineret, & quod non liceret alicui Episcopo eidem monasterio, & ejus Ecclesiis excommunicationem indicere, ut fratres illic Domino servientes ab omnium potestate liberi Rom. Eccles. libertatis gratiâ potirentur, & quod nulla in eo mentio diœcesani Episcopi habebatur: illud etiam nihilominus attendentes, quoniam sicut ex dictis quorundam testium intelleximus evidenter, plurimique de nostris fratribus tempore illo præsentibus recolebant, cum tu fili Abbas tempore bonæ memoriæ C. Pp. præd. n. ad ipsius præsentiam accessisses, ipse inspectis Ecclesiæ tuæ privilegiis, te, licet excommunicatus ab Eugubino Episcopo dicereris, tanquam non ligatum admisit ad osculum: quod præsumitur non fecisse, nisi monasterium vestrum cognovisset ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere: de communi fratrum nostrorum consilio pronuncian- dum decrevimus. Privilegium illud bonæ memoriæ Lucii Papæ, quod sine reprehensione bullæ, chartæ, vel literæ apparebat quando fuit nobis ostensum, illius fuisse tenoris, cujus per depositiones testium, & assertiones f. n. præmisimus existisse. Decernimus ergo, &c. Datum Lat. II. Kal. Junii.

NOTÆ.

1. ^a Eugubini.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in epistolis Coloniæ editis lib. 2. fol. 318. Monasterium hoc S. Petri est in diœcesi Eugubina Ordinis D. Benedicti, ut refert Tamburinus in serie Abbatiarum, verbo Eugubinum: & de ipsa diœcesi nonnulla adduxi in cap...
2. ^b Lucii.) Tertii videlicet.
3. ^c Marci.) Qui prius fuit monachus D. Benedicti in monasterio de Avellana; & electus fuit in Episcopum Eugubinum anno 1193. ut refert Ughellius tom. 1. Italia sacra, fol. 685.
4. ^d Osculum.) Ad quod non admitteret Pontifex, nisi prius esset absolutus, quia aliàs per ipsam admissionem ad osculum censeretur absolutus, ut docuit Hostiensis in cap. venerabilis 34. verbo Re-

cognovit, de elect. Facit Sidonius lib. 4. epist. 23. ibi: Deus magne! quàm latus orietur tibi dies, mihi nuncius, animus illi, cum paternis pedibus affusus, ex illo ore laeso, ore terribili convitium expectans, osculum exceperit. Ubi Savarus. Plura de osculo pedis Pontificis Barbosa lib. 1. de jure ecclesiast. cap. 2. num. 90. Joannes Baptista Casalius de veteribus ritibus Christianorum, cap. 81. Lorinus in cap. 10. actuum Apost. vers. 25. Lantdmeter. lib. 3. de veteri clerico, cap. 3. Zerda in advers. cap. 184. num. 5. Bernardinus Ferrarius lib. 3. de antiq. epist. Ecclesie, cap. 2. Rouffellius lib. 8. histor. Pontif. jurisd. cap. 4. num. 3. Illustr. Ramos de Episcopis Lusti, propos. 1. §. 2. num. 90.

5. ^e Privilegium.) Quatenus privilegium scripturâ, aut testibus probari debeat; pro cujus textus illustratione jam exposui in cap. porro, supra hoc tit.

CAPVT XIII.

Idem. ^a *Catalaun. electo* & ^b *Abbatibus* ^c *Triumfontium.*

EX parte Abbatissæ, ac Sororum Iotren. Ecclesiæ nostris fuit auribus intimatum, quod ven. f. n. Melden. Episcopus commissionis occasione cuiusdam ad ven. f. n. Parisien. Episcopum, & dil. fil. Abbatem de Lantun. à nobis obtentæ, in qua nulla mentio habetur de ipsarum privilegiis, quæ illas, & earum Ecclesiam, Clerum & populum ^c Iotren. ad Ap. Sed. nullo mediante spectare declararent, quorum ipse non erat ^d ignarus, eas inceperit graviter molestare, obedientiam ab ipsis, ac Clero, & populo villæ Iotren. qui secundum privilegia Sedis Apostolicæ gaudent consimili libertate, & subjectionem omnimodam impendendam sibi requirens. *Et infra:* Verum cum iudices & assessores eorum ipsas valde gravarent, ad appellationis beneficium convolarunt. *Et infra:* Sed iudices ipsi appellationi minimè deferentes, nec fragilitati sexus compatiens earum, in Abbatissam excommunicationis vinculum, & in populum villæ Iotren. interdicti sententias protulerunt. Sanè cum nuntii Iotren. Ecclesiæ prædictæ, & alia multa in nostra præsentia retulissent, quibus eas, & suos contra libertatem eis concessam gravatos dicebant, privilegium nobis Apostolicum ostenderunt, per quod Ecclesiam Iotren. constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eos diutiùs detinentes propter ap. prædictam, quia tamen tandem nullus apparuit idoneus responsalis, qui partem defenderet adversam, licet postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisien. Episcopi, & Lantun. Abbatis literas præsentasset, privilegium Ap. Sed. Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innovandum; ita tamen, ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat, quàm per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc novum ei non concedere, sed antiquum jus conservare ^e velimus.

NOTÆ.

1. ^a *Catalaun.* In tertia collectione, sub hoc tit. cap. 3. legitur *Cauthaubaven.* sed malè, nam Catalaunum Campaniæ urbs, ad Matronam fluvium sita, in provincia Rhemenfi Galliæ, habet Cathedram Episcopalem, cujus Episcopus est Dominus temporalis urbis, Comes, & Par Franciæ. Fulbertus Carnot. *epist.* 78. *Ne civitati, vel Ecclesiæ Catalaunorum suum denegat honorem, meminisse vos decet, quod in antiquis inscriptionibus Belgicæ ipsa civitas à Rhemenfi tertium locum habuit.* Ut referunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Gallie fol.* 501. *Chenu in chronolog. Gallie fol.* 288. Rigardo electo tantum in Præsulem hujus Ecclesiæ rescribit Innocent. in præsentia, ut notavit Bosquetus in *notis ad Innoc. III. lib.* 1. *Registr.* 13. *epist.* 22.
2. ^b *Triumfontium.* Monasterium hoc est ordinis Cisterciensis in dicecesi Catalaunensi, in Ducatu Barenfi, cujus fundationem refert Guillelmi Abbas *lib.* 1. *hystor. cap.* 13. his verbis: *Petente,*

*Et agente Domino Guillelmo Episcopo, in Episcopatu Catalaunensi, eam, quæ Triumfontium dicitur, domum construxerunt, ad quam cum Abbatem cum monachis emisissent, Dominum Rogerium virum nobilem secundum seculum, sed nobiliorem sanctitate; & viros quosdam similis forme cum eo, spiritualis pater (Bernardus scilicet) filios, quos emisit, non dimisit, sed paternæ sollicitudine, & pia affectione cum eis erat. Alia de ipso monasterio congererunt Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, Matrique *tom.* 1. *annal. Cisterc.* anno 1118. *cap.* 3. *num.* 4. Fratres Sarmat, *tom.* 2. *Gall. fol.* 881.*

^c *Iotrensis Ecclesiæ.* De quo monasterio nonnulla adduxi in *cap. dilectæ, de excess. Pralat.*

^d *Non erat ignarus.* Hæc verba exposui in *cap. super 20. de rescript.*

^e *Velimus.* Quia invocatio, seu confirmatio privilegii jus novum non tribuit, sed antiquum confirmat, *cap. quia 29. hoc tit. cap. cum dilectæ, de confirmat. utili;* ubi commentarium hujus textus dedi.

CAPVT XIV.

Idem. ^a *Colubriensi Episcopo.*

CVM olim ad Ap. Sed. accessisses, & propter quæstiones, quas adversus dil. fil. Priorem & Canonicos S. ^b crucis habebas, pro quibus fuerat ad nostram audientiam appellatum, moram feceris longiorem, quia pro parte altera nullus comparuit responsalis, eidem Priori, & fratribus in virtute obediendiæ districtè ^c præcepimus, ut usque ad festum omnium Sanctorum proximo tunc futurum per se, vel per sufficientes responsales,

responsales, & idoneos, ad nostram presentiam accederent, super privilegiis omnibus, & libertatibus, quæ à Romanis Pontificibus, vel à bonæ mem. quondam Colubrienſi Episcopo se habere dicebant, & super alijs quæſtionibus adversus eos à Colubrienſi Ecclesia intentatis diffinitivam sententiam recepturi. Ut autem veritas facilius appareret, authentica, & originalia cum bullis suis nobis usque ad eundem terminum sub eadem distinctione præcepimus exhiberi: interim autem utrique parti liceret coram dil. fil. de Alcobatia, & de Seiza Abbatibus, & F. Meven monacho d Alcobatiæ, quibus sub certa forma causa prius fuerat delegata, & testes utrimque producti, proponere, ac probare, si quid aliud proponendum ducerent, ac probandum. *Et infra:* c Iudices autem sufficienter actum esse de causa credentes attestationibus, & rationibus utriusque partis diligenter inspectis monasterium sanctæ Crucis in expensis, quas per f quadriennium occasione hujusmodi negotii juraveras fecisse, quæ quinquaginta marcharum auri summam attingerent, tibi de prudentium consilio damnaverunt, infirmantes suâ sententiâ libertatem, quam g M. Colubrien. Episcopus in enorme detrimentum Colubrien. Ecclesiæ contulerat monasterio sanctæ Crucis, & canonicorum assensu per præconem Episcopi, & portarium Regis h extorto. Præterea quia idem M. etiam fuerat canonicus regularis, & duo millia marabotinorum, quæ acquiserat in Episcopum jam promotus i monasterio dederat memorato, ipsum ad restitutionem eorum iudices condemnarunt. Insuper tam decimas, quàm omnes Ecclesias, quas de manu Regis, vel aliorum laicorum, sive clericorum monasterium præter Colubrien. Episcopi assensum receperat, & quas in k Lateran. vel in alijs locis in attestationibus comprehensis propriâ auctoritate fundavit, quia pars sanctæ Crucis nec præscriptione, nec defensione alia probationibus contra se factis obstiterat, judicaverunt in jus Colubrien. Ecclesiæ cum fructibus medii temporis revocari. *Et infra:* Tandem verò cum tu, & pars altera propter hoc ad Sedem Apostolicam venissetis, procurator monasterii sanctæ Crucis proposuit sententiam non tenere. Quod si aliàs etiam sententia memorata teneat, quia tamen monasterium fuit indefensum, sicut ipsi iudices per suas litteras protestantur, nec exhibita fuerant coram eis, privilegia libertatis, ne debitum personæ in damnum Ecclesiæ redundaret, debeat ad exhibitionem privilegiorum suorum admitti, quod sibi concedi de solida benignitate Sedis Ap. postulavit. Nos igitur attendentes, quod eadem privilegia non solummodo pro libertate monasterii faciebant, sed exprimebant jus nostrum, & Ecclesiæ Romanæ justitiam tuebantur: ne in nos monasterii læsio redundaret, ad privilegia exhibenda partem ejus de gratia duximus admittendam. Ut autem pleniùs de processu iudicum possemus intelligere veritatem, gesta omnia, sicut acta fuerant, coram nobis utrimque iussimus exhiberi. Nos igitur his, & alijs auditis, & intellectis, quæ fuerant hinc inde proposita, distinguentes inter libertatem per prædictum Episcopum Ecclesiæ ipsi concessam; & libertatem, quam ei longè ante tempus ipsius Episcopi Ap. Sedes indulſit, sicut patet ex privilegijs antedictis, quia nobis constitit evidenter extortum fuisse in Episcopi concessione canonicorum assensum, & concessionis paginam in aliquot lineis habuisse raturas, & subscriptiones singulas fuisse singulis subscribentium manibus annotatas; scriptum autem, quod nobis exhibitum fuerat, nec raturam prætere, nec variis subscriptionis manibus variatum, sed à primo ad ultimum eadem potiùs manu conscriptum, libertatem ab ipso Episcopo concessam irritam decernimus, & inanem, super hoc sententiam delegatorum iudicum confirmantes. Quia verò evidenter agnovimus privilegijs antedictis prædecessores nostros Ecclesiæ sanctæ Crucis libertatis privilegium indulſisse, ac quod ea in possessione tam diu fuerat libertatis, quod alijs etiam cessantibus præscripsisset, libertatem ei à prædecessoribus nostris indultam auctoritate Ap. confirmamus, tibi super hoc silentium imponentes. Per hoc autem in nullo sententiæ delegatorum iudicum derogamus, cum ipsi de hac non cognoverint libertate. *Et infra:* Cum autem libertatem à prædecessore nostro confirmemus indultam monasterio, ad jus processionis, quod est contrarium libertati, monasterium decernimus non teneri, non derogantes iudicibus delegatis, quibus libertatis privilegia non fuerant præsentata. Carterum super eo, quod iidem iudices decreverunt, ut pro domibus Portæ novæ, in quibus parochiale jus Ecclesiæ Colubrien. habuerat, monasterium tantum recompenſaret eidem in loco alio comperenti, quantum amiserat in domibus memoratis, omninò corrigimus sententiam, quàm tulerunt, ad id censentes monasterium non teneri. In cæteris autem latam à prædictis sententiam, tam pro Colubrien. Ecclesiâ, quam monasterio sanctæ Crucis auctoritate Ap. confirmamus.

NOTÆ.

^a **C**olubriensis.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4. De Colubriensi Lusitania diœcesi egi in cap. 8. de præscript.*

1. **b Sanctæ Crucis.)** Monasterium hoc canonicorum regularium, quod est caput ipsius congregationis, extat in Balneo suburbano civitatis Colimbriæ, fundatum à Tellone Colimbricensis Ecclesiæ Archidiacono, ditatum primùm donatione Alphonsi Lusitanæ primùm Ducis, deinde Regis, Ferdinandi Comitis, & Tarasie Reginae filia: quod monasterium maximis privilegiis Summorum Pontificum, & Regum Lusitanæ, & aliorum Principum munitum, prædiis, villis, castris, cum jurisdictione spiritali, & temporalis ornatum est, ut plura de eo referens tradit Pennotus *lib. 2. histor. canonic. Regul. cap. 32. num. 4. & cap. 39. num. 1. & cap. 59. per totum.*

2. **c Præcipimus.)** Quæ literæ extant in ipso Codice epistolarum correcto à Sirleto, *fol. 399.* in hæc verba. (Quod scribamus N. Priori, & Fratribus sanctæ Crucis super controversiis gravibus, & diversis, quæ inter ipsos, & Colimbriens. Ecclesiam agitantur, ex literis Apostolicis patentibus eis directis pendere poteritis evidenter: quas per sollicitudinem vestram ipsis omni contradictione, & appellatione cessantibus, exhiberi volumus, & jubemus. Quamvis autem coram vobis, quibus examinationem negotii sub certa forma recolimus commisisse, testes utrinque producti fuerint, & recepti: quia tamen de causa non constitit nobis ad plenum, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus receptis adhuc aliis testibus partium, si de ipsarum processerit voluntate, si quos super privilegiis, libertatibus, vel aliis articulis duxerint producendos, vos usque ad definitivam sententiam, remoto appellationis obstaculo procedentes, gesta omnia nobis sub sigillorum vestrorum testimonio per vestrum fidelem nuncium transmittatis, ad festum omnium Sanctorum proximè futurum diem peremptorium assignantes, quo recepturæ sententiam per se, vel per procuratores idoneos, nostro se conspectui repræsentent ad quem si qua earum venire contempserit, nos nihilominus, quantum de jure poterimus, procedemus. Testes, &c. per censuram ecclesiasticam cogantur. Quod si non omnes, &c. Duo vestrum, &c. Datum ut supra, Kal. Decemb.

3. **d Alcobacia.)** Hujus delegationis literæ extant in ipso registro epistolarum Innoc. *fol. 102.* in hæc verba: (Insinuavit nobis venerabilis frater noster Colimbriens. Episcopus, quod cum illustri Rex Portugallie Fratribus sanctæ Crucis apud Castrum de Leirena in una tantum Ecclesia jus concesserit patronatus, inconsulto diœcesano Episcopo in eodem loco construere alias motu proprio præsumperunt, quas & per capellanos conductitios regunt, & in nullo pro ipsis volunt diœcesano Episcopo respondere. Easdem etiam Ecclesias privilegiis suis fecerunt inscribi, cum ab Episcopali jure nunquam fuerint de consensu Episcopi liberatæ: unde totum jus Episcopale in oppido nominato sibi præsumunt temerè vendicare. Quia igitur nobis constare non potuit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scrip-

ta mandamus, quatenus partibus convocatis, &c. quod justum videritis super his appellatione postpositâ statuatis, &c. non obstante privilegio in præjudicium Colimbriens. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quod si omnes, &c. duo vestrum, &c. Dat. &c. v. Kal. Junii.)

e Iudices.) Non ipsi Abbates de Alcobacia, & Seize, quibus cognitio præsentis causæ commissa fuerat; sed Episcopus Zamorensis, & Decanus Auriensis, quibus postea eadem causæ cognitio commissa fuit, ut ex integra, quæ hodie servatur in archivo monasterii sanctæ Crucis, probat Barbosa in præsentibus, *num. 20.*

f Per quadriennium.) Nam instantia iudicii jure canonico non finitur triennio, ut finitur jure civili attentio. Probavi in *cap. de causis 4. de offi. deleg.*

g M.) Michaël videlicet, ut refert Petrus Alvarez à Noguera in *lib. de Episcopis Colimbricensibus, in vita Episcopi Michaëlis, fol. 49.* & ipsum privilegium concessisse in præjudicium Colimbricensis Ecclesiæ, constat ex alia epistola Innocentii III. *lib. 1. in regist. Sirlet. fol. 102.* ubi Innocentius ita rescribit Decano Ullisbonensi, Priori de Frodz, & monacho de Alcobacia: (Innotuit nobis venerab. fratre nostro Colimbriens. Episcopo intemante, quod cum M. quondam canonicus sanctæ Crucis in Episcopum fuisset Colimbriens. assumptus, privilegium quoddam de consilio quorundam Canonicorum Eccl. Colimbriens. monasterio S. Crucis indulgit, in non modicum ejusdem Ecclesiæ præjudicium & gravamen. Quia verò nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, inquiratis de præmissis diligentius veritatem, & si privilegium ipsum in grave dispendium Colimbriens. Ecclesiæ videritis redundare, quod illicitè factum est, auctoritate Apostolicâ appellatione remotâ legitimè revocetis, non obstante privilegio in præjudicium Colimbriens. Ecclesiæ per subreptionem ab Apostolica Sede obtento. Datum Romæ, &c. III. Non. Junii.)

h Extortio.) Et ita consensus Canonicorum nulliter præstitus fuit, quia licet potentatus ratio non sit sufficiens, ut actus rescindatur, *l. ad invicem 6. C. de his que vi, l. ult. in princip. C. de his quibus ut indign.* tamen in præsentibus casu terrores, & minæ accesserunt, ut notarunt Hostiensis, & Ancharan. *num. 15.* Butrius *num. 30.* Socius *num. 39.* quia tam per portarium Regis, quam per preconem Episcopi coacti fuerunt ad consensum illum præstandum; quod facile constat ex his, quæ refert Petrus Alvarez de Noguera in *libel. de Episcop. Colimbric. in vita Episcopi Michaëlis, fol. 49.* ubi ait, tam ipsum Episcopum, quam Regem Alphonsium canonicos consentire renuentes, alios in carcerem misisse, alios in exilium, alios bonis multasse. Unde cum in præsentibus casu Canonicorum consensus fuisset per minas, & terrorem extortus, quid mirum si actus cum eo celebratus rescindatur, tanquam per gravem metum elicitus? argumento capitis *cum dilectus, de his que vi, l. qui in carcerem, ff. de eo quod metus causa: docuit Arias à Mesa lib. 3. variar. cap. 36. num. 8.*

i Monasterio delit.) Sed certum est, quod quamvis Episcopus non possit de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere, ut probavi in *cap. de testamentis;* potest tamen donare inter

inter vivos cui voluerit, etiam immodicè; quia cum dominus sit fructuum sui Episcopatus, & ad eum pertineat plena dispositio, quid mirum ut per donationem, sicut per alios contractus, eos alienare possit? ut probant D. Thomas 2. 2. q. 185. per totam Molina de iustit. tract. 2. disp. 144. Ludovic. à Molina lib. 2. de primog. cap. 10. num. 33. pluribus relatis D. Josephus de Retes de donat. cap. 12. Igitur donatio marapetinum facta in presenti casu à Michaele Episcopo monasterio sanctae Crucis, valida fuit, & per consequens injustè iudices delegati eam infirmarunt suâ sententiâ, quam approbavit Innocentius in calce hujus textus. Cui difficultati ut satisfaciatur Joannes Andreas in presenti, num. 8. Abbas num. 8. & 18. Butrius num. 25. Socinus num. 18. & 46. Tapia in authentica Ingressi, verbo Sua, cap. 6. num. 90. C. de sacros. Eccles. affirmant, ideo donationem in presenti inutilem fuisse, quia immodicam quantitatem continebat. Quae sententia firmari potest ex eo, quod marapetini, de quibus in presenti, aurei erant temporibus Regis Alphonsi, & eum valorem habebant, quem hodie habent aurei Lusitani, vulgò Cruzados, Hispanè Ducados, ut docent Marisus Lusitanus in dialog. historia Regum Portugaliae, dialogo 2. cap. 9. Eduard. Nunez in chron. Regum Portug. in vita Regis Dionysii, fol. 134. Plura de valore marapetinum congesserunt Montalvo in l. 1. verbo Cien maravedis, tit. 5. lib. 2. fori. Govcanus lib. 2. variar. cap. 24. Covar. Gomez, & Paz congesti à Barbosa in presenti, num. 13. alioquin si donatio rei modicæ esset, valeret juxta textum in cap. ceterum, de donat. Verum hæc interpretatio convincitur ex proximè traditis, & ex adductis in cap. 1. cap. cum in officiis, de testam. ubi probavi Episcopos, & alios beneficiarios adeo dominos esse suorum fructuum, ut de eis ad libitum disponere possint. Quare hac interpretatione omisâ, alii discrimen agnoscunt inter Episcopum secularem, & regularem, ita ut secularis rectè possit donare, etiam immodicè, fructus sui Episcopatus, quia habet verum eorum dominium, etiam in infirmitate constitutus donet; dummodo post donationem per quadraginta dies supervivat, ut hodie cautum est constitutione Pii IV. edita anno 1560. Episcopus verò Regularis, cum adhuc postquam promotus est in Episcopum, verus maneat religiosus in his, quae non obstant executioni muneris Episcopalis, incapax quoque sit dominii ipsorum reddituum, ut post D. Thomam 2. 2. q. 185. art. 8. pluribus relatis resolvunt Sanchez lib. 2. summa, cap. 6. num. 8. & 9. Barbosa de potestate Episcopi allegat. 114. num. 18. & 19. Molina de iust. tom. 1. disp. 140. Lessius eod. tract. lib. 2. cap. 4. dub. 5. Castropalao tract. 6. disput. 2. punct. 8. Cutellus de donat. tract. 1. disp. 2. p. 3. num. 135. Covar. in cap. 1.

num. 18. de testam. Martha de success. legal. tom. 2. p. 4. q. 1. Garcia de beneficiis p. 7. cap. 10. num. 89. Maldonado in addit. ad Molinam lib. 2. cap. 10. quæ de causâ bona tam Ecclesiae intuitu, quam suâ industria post Episcopatum acquisita, suæ Ecclesiae, non sibi acquirit, cap. unic. 18. q. 1. docent Abbas in cap. in presentia, num. 67. de probat. Navarrus comment. 4. de regul. num. 6. Azor lib. 12. instit. cap. 10. quest. 6. Emmanuël Rodriguez lib. 1. qq. regul. q. 89. art. 4. Molina lib. 2. de primog. cap. 10. num. 28. Ludovic. Molina tract. 2. de iustit. disput. 140. num. 37. Gabriel Pereyra decis. 75. num. 2. Unde cum in presenti casu Episcopus Michael regularis esset, utpotè ex Ecclesia regulari sanctae Crucis in Episcopum electus, ideo non potuit in præjudicium suæ Ecclesiae Columbricensis prædictam donationem facere. Ita docuerunt post Glossam in presenti, verbo Restitutionem, Cardinalis hic, opposit. 9. Beronius num. 55. Pereyra d. decis. 75. Castar de ecclesiast. hierarch. disput. 14. §. 11. num. 16. Hermosilla in l. 1. tit. 4. part. 5. glossa 1. num. 10. Sed etiam hæc interpretatio sustineri non potest; nam verius est, in hac parte nullum versari discrimen inter Episcopum regularem, & secularem; siquidem Episcopus regularis non obstante voto paupertatis, etiam non possit acquirere dominium fructuum sui Episcopatus, ut retineat, tamen habet plenam, & absolutam dispositionem, ita ut donare, ac alios contractus celebrare rectè possit, ut docuerunt Abbas in presenti, num. 15. Molina de iustit. tract. 2. disput. 148. num. 5. Basilus lib. 7. de matrim. cap. 13. Azor tom. 2. instit. moral. lib. 12. cap. 7. quest. 2. Sanchez in præcept. Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 13. Solorzano tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 10. num. 49. D. Josephus de Retes de donat. cap. 12. num. 32. Marquez in orig. erem. cap. 6. §. 4. Vasquez in 1. 2. q. 96. art. 4. disput. 165. cap. 8. Hurtado de Mendoza de fide & spe, disput. 100. sect. 3. Robertus 4. rer. judic. cap. 3. Steph. Durant. q. 10. pro quibus facit textus disertus in cap. statumus 18. q. 1. Nogueroi allegat. 26. num. 193. Cum quibus dicendum est, in presenti infirmari donationem factam ab Episcopo Michaele, quia talis donatio data fuit mortis causa, seu in ultima dispositione, ut etiam supposuit cum aliis Barbosa voto 100. ex num. 10. Unde cum illis modis non possit nec Episcopus secularis disponere de bonis intuitu Ecclesiae acquisitis, ideo donatio in presenti facta infirmata fuit, tam à iudicibus delegatis, quam à Pontifice.

k Lateranensi.) Legendum est Leirimensi, ut notavit Barbosa in presenti, num. final. & constat ex alia epistola ipsius Innocentii III. supra relata.

CAPVT XV.

Idem Episcopo, & Magistro G. a Lemonicensi.

Accedentibus ad præsentiam nostram dil. fil. Magistro Zacharia, & Abbatis, & conventus Maugracen ex una parte; & fratre Petro Templariorum de Torren, procuratoribus ex altera, dil. fil. I. Sub. & Capellanum nostrum dedimus auditorem, coram quo procurator Abbatis, & monachorum proposuit, quod cum decimas

decimas terrarum de Sarcole diu possederint in quiete, antequam ad Templariorum potestatem, & dominium pervenissent; & postquam Templarii terras adquisivere, prædictas decimas earundem per quadraginta annos, & amplius pacificè possedissent, nunc eis ipsas decimas subtrahere non verentur, in aliis eisdem graves injurias irrogantes. *Et infra:* His igitur, & aliis, quæ coram prædicto Capellano fuere proposita, plenius intellectis, quia de ipsis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita plenius veritate, si Abbas & monachi sufficienter ostenderint, quod à Templariis decimas de terris prædictis per quadraginta annos continuò perceperint sine lite, vos ad præstationem decimarum ipsarum Templarios auctoritate Apostolica compellatis. Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverunt, eis renuntiasse tacite præsumuntur. Quod si forte in probatione defecerint, ab ipsorum petitione Templarios absolvatis, ipsis super hoc appellatione postpositâ perpetuum silentium imponentes; super aliis verò, auditis quæ hinc inde duxerint proponenda, quod justum fuerit, appellatione postpositâ statuatis: facientes quod decreveritis, &c.

NOTÆ.

^{iv} ^a *Lemovicensi.*) Ita etiam legitur in tertia collectione sub hoc tit. cap. 5. De Lemovicensi

Ecclesia nonnulla adduxi in cap. 17. de majorit. & obed. & commentarium hujus textus dedi supra in cap. si de terra.

CAPVT XVI.

Idem Episcopo ^a *Lingoniensi.*

Cum capella Ducis ^b Burgundiæ gaudere dicatur hujusmodi privilegio, quod nullus Archiepiscopus, vel Episcopus in personas ^c Canonicorum ejusdem capellæ suspensionis, vel excommunicationis, aut interdicti sententias audeat promulgare, ^d Decanus Christianitatis, & quidam capellæ supradictæ Canonici, qui parochiales Ecclesias à te tenent, occasione privilegii prælibati in his etiam, quarum jurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, ut quantumcunque graviter interdicti excedant, tuæ correctioni recusent, & sententiæ subjacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti sunt ejusdem ratione capellæ, Apostolicis privilegiis deferas reverenter; sed in quantum ratione parochialium Ecclesiarum, vel aliàs jurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officii tui debitum in eisdem liberè prosequaris.

NOTÆ.

² *Lingoniensi.*) In tertia collectione, ubi sub hoc tit. cap. 6. reperitur textus hic, tantum habetur *Idem*; sed rectius in præsentem legitur *Lingoniensi*, ex infra dicendis. De hac diocesi nonnulla adduxi in cap. 8. de rescriptis.

^{1.} ^b *Burgundiæ.*) In tertia collectione legitur *Bohemiæ*, sed male; nam si præsens capella esset in Regno Bohemiæ, quomodo conqueri poterat de ejus capellanis, atque eorum correctionem intendere Lingoniensis Præsul, qui est in Gallia? Agitur ergo in præsentem de capella Ducis Burgundiæ, quæ celebris est, & vulgò dicitur *Sancta Capella*: eam Divione instituit Hugo III. Dux Burgundiæ anno 1172. ut constat ex præcepto ipsius fundationis edito ab Auberto Mirco, & referunt *Altefferra de Ducibus cap. 8.* Paulus Ydumay in not. ad *Innoc. III. lib. 4. Regestr. epist. 201.* Chassaneus in *catal. p. 12. considerat. 63.*

^{2.} ^c *Canonicorum.*) Sæpius enim Principes, & Comites ac Duces Archicapellanum habere legimus. In Concilio Aurelian. 4. *can. 7. & 16.* Cabillon. 1. *cap. 14.* apud Ordericum *lib. 6. hist. pag. 622.*

& alios mediæ ætatis scriptores, quos congerunt Dadinus *Altefferra de Ducibus lib. 2. cap. 8.* Filæcus in *cap. 9. §. 15. per tot. de offic. Ord. m.*

^d *Decanus Christianitatis.*) Id est sancti Joannis Baptistæ Divionensis, de qua capella agit *Innoc. lib. 3. regestr. 15. in epist. 201.* missa Abbati, & Priori Cisterciensi, & Decano hujus capellæ, ibi: (Dilectus filius I. Decanus Christianitatis Divionen. in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum olim L. I. & H. Canonicis Capellæ Ducis Divionen. Lingonen. dioc. non ad correctionem, sed potius ad infamationem ipsius nobis quædam denuntiantibus, contra ipsum ven. f. n. Matisconen. Episcopo, & suis cõjudicibus dederimus in mandatis, ut vocatis qui essent propter hoc evocandi, quod invenirent super objectis, per suas nobis literas intimarent, partibus in ipsorum præsentia cõstitutis, & eodẽ inficiante Decano, quod denunciationem ipsam monitio charitativa præcesserit, & firmiter asserente prædictos Canonicos factæ denunciationis tempore inimicos ejus, & amulos extitisse, tandem fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, ejus appellationi memorati iudices detulerunt. Idem verò Decanus quorundam religioso-

religiosorum litteras representans, qui de vita, & conversatione ipsius laudabile testimonium perhibebant, nobis humiliter supplicavit, ut occurrere adversariorum suorum malitiæ, ac laboribus ejus finem imponere dignemur. Nolentes autem ipsam indebitè fatigari, discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus si denunciatores præfati monitionem charitativam præmississe super objectis probare nequiverint, aut Decanus ipse docuerit illos suos exititisse denunciationis tempore inimicos, eundem ab illorum denunciatione, sublato appellations obstaculo absolvatis. Alioquin in eodem negotio juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota ratione præviã procedatis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Tu denique fili Abbas super te ipso, &c. Datum Lateran Idib. Januar. P. N. anno XV.

COMMENTARIUM.

4 CUM Dux Burgundiæ capellam propriam haberet cum capellanis Aulicis, ut plerunque magni Dynastæ habent, ut Magnus noster Monarcha, de cujus sacello librum edidit Turturetus; & Reges Aragoniæ, Exca in l. unic. C. de palat. fol. 80 Dynastæ Bituricensis, Alteserra dicto cap. 8. privilegium exemptionis capellani habebant ab omni jurisdictione diocesana; unde intendebant nec ratione parochialium Ecclesiarum, quas à

Lingoniensi Episcopo acceperant, illis subesse, etiam si in earum regimine magna crimina perpetrarent. Sed contrarium decrevit Innocentius III. videlicet eos ratione exemptionis, quam virtute capellæ habebant, non posse eximi à jurisdictione Episcopi Lingoniensis, propter Ecclesias parochiales, quas regebant; & merito, nam etiam religiosus exemptus promotus ad beneficium parochiale, ratione illius beneficii subicitur imperio, & jurisdictioni ordinarii, ut probant pluribus relatis Barbosa in collect. ad Clement. 1. num. 10. de statu monach. Sanchez in præcep. decalog. lib. 6. cap. 6. num. 36. Moneta de conservat. cap. 6. num. 51. & cap. 7. num. 272. Cochier. de jurisd. in exemptos, 2. part. quæst. 45. Salgado de retent. bullar. 2. part. cap. 15. n. 3. quod etiam contingit in quocunque exempto, qui conveniri potest coram ordinario ratione officii, seu publicæ functionis, ex l. unic. Cod. in quibus causis milites for. præscript. l. 2. Cod. ubi decur. authent. iudices sine quoquo suffrag. §. nolimus, in fm. Unde in præfenti casu etsi capellani Ducis Burgundiæ exempti essent à jurisdictione ordinaria, tamen propter Ecclesias parochiales, quas regebant, poterant puniri ab Episcopo Lingoniensi, à quo eas acceperant. Docuerunt Turturetus in sacello sacro, cap. 4. Bosquet. ad Innoc. III. lib. 1. registr. 13. epist. 17. Lara de capell. c. 16. num. 15. Barbosa de potest. Episc. alleg. 123. qui exinde utiles, & in foro quotidianas quæstiones resolvunt circa exemptos peccantes in officiis propriis.

CAPVT XVII.

Idem Abbati, & Fratribus à Evafinen. canobii.

EX ore sedentis in throno procedit gladius bis acutus, quoniam ex ore Romani Pontificis, qui præfidet Ap. Sedi, rectissima debet exire sententia, quæ contra justitiam nulli parcat, sed reddat unicuique quod suum est. Cùm igitur inter nos, & ven. f. n. V Vigornien. Episc. super monasterii vestri subiectione, ac libertate controversa verteretur, & nos eandem terminandam commiserimus iudicibus delegatis, causam eandem sufficienter instructam ad nostram præsentiam remiserunt, certum partibus terminum præfigentes, quo cum instrumentis, & attestationibus nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, per procuratores idoneos audientiam præbuimus liberam, & benignam. Et quidam monasterii vestri proposuit procurator, quod idem monasterium ab ipsa sui fundatione liberum extitit, & exemptum, ad hoc probandum privilegia prædecess. nostri inducens duo, videlicet Constant. unum, & alterum Alexandri; nec non indulgentiam Clementis, & Cœlestini: quorum usum continuum longis retrò temporibus per depositiones testium ostendere nitentur. Et infra: Porro in privilegio Const. quiddam contineri perspicitur, per quod idem cœnobium videtur ad jurisdictionem Episcopalem pertinere, videlicet quod Abbas ejusdem monasterii primum locum post V Vigornien. Præsulem semper obtinebat. Vnde cùm locum ipsum obtinere non possit in Concilio generali, neque in provinciali, quoniam absonum esset ut Abbas primus post illum super alios Episcopos resideret; relinquitur ergo, quod locum illum in Episcopali Synodo intelligatur habere, quasi teneantur ad Synodum Episcopalem accedere, ac per hoc ipsius statuta recipere, ac servare. In privilegio verò Alexandri Papæ quiddam aliud continetur, propter quod diocesanus Episcopus in eodem cœnobio jurisdictionem, etsi non in omnibus, in quibusdam tamen retinuisse videtur, cùm in illo dicatur quod V Vigornienfes Episc. à fratribus ejusdem loci aliquid injustè non exigant; sed his tantum contenti permanent, quæ prædecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse. Vnde constat, quod Abbates Episcopis aliqua de suis exhibere tenentur. Nos igitur his, & aliis diligenter auditis, & perspicaciter intellectis, cùm à neutra parte

per testes præscriptio sit probata, de communi f. n. cõsilio diffinivimus sententialiter, quod Eveshamen. cœnoqium liberum est in capite, tanquam ab Episcopali jurisdictione prorsus exemptum, & soli Rom. Pontif. & Ecclesiæ Rom. subiectum; tutelâ tamen ipsius Cantuar. Archiep. reservata; in membris autem, videlicet in his, quæ non probantur exempta, diocesano Episc. ipsum decernimus subjacere, propter quæ Abbas ad Synodum ejus debet accedere, primumque locum post V Vigornien. Episcopum obtinere: pro ipsi quoque membris, ut diximus, non exemptis, idem Abbas tenetur V Vigornien. Episc. exhibere reverentiam, obsequium, & honorem, quibus V Vigornien. Episcop. sibi competenter exhibitis debet manere contentus.

NOTÆ.

1. a **E** *Vasinen.*) Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* in hac verò sextâ legitur, *Evesham.* sed utrobique malè, quia legendum est *Evesham.* quod monasterium est Divi Benedicti, ut probavi in *cap. 3. de in integr. restit.*
 - b *Gladus bis acutus.*) Verba sunt capitis 1. Apocalypsis, quæ exponit Barbofa in *presenti.*
 - c *Vigornien.*) De Wigornien. diocesi Angliæ nonnulla adduxi in *cap. nostri o. de elect.*
 - d *Resideret.*) De ordine sedendi Prælatorum in Conciliis latè agit Fiesacus in *cap. quod sedem, §. 1. de officio ordin.* etiam aliqua notavi in *princip. Concil. liber.*
- 2.
- 3.

COMMENTARIUM.

3. **L**icet monasterium exemptum sit principaliter in capite, non ideo ejus membra exempta videntur, ut de monasterio Rothonen. & ejus Ecclesiis decrevit idem Innoc. III. *lib. 1. registr. 13. epist. 7.* Episcopo Venetensi ita rescribens. (Cum movisses olim adversus Rothonen. monasteriũ quæstionem, asserens monasterium ipsum, ac parochiales Ecclesias ejus ad te de communi jure spectare, utpote in tua diocesi constitutas, in eis-

dem jura tibi Episcopalia vindicando; & ex parte monasterii diceretur, idem monasterium cum parochialibus Ecclesiis suis Romanorum Pontificum privilegiis ab antiquo libertate donatum, super eadem causâ frequenter fuerunt literæ Apostolice impetratæ. Denique autem utraque pars in venerabiles fratres nostros Nanneten. & Briocen. Episcopos sub certâ penâ, & juramento interposito compromisit, qui rationibus utriusque partis auditis, & monasterii privilegiis diligenter inspectis, de Concilio peritorum illud in capite liberum sententialiter decreverunt. Verum quia Ecclesiæ parochiales ipsius exemptæ nullatenus probabantur, pronuntiaverunt eisdem ad jurisdictionem tuam, sicut alias tuæ diocesis Ecclesias, pertinere, & statim de consilio fratrum nostrorum pronuntiavimus, monasterium sapeditum in capite liberum, & à tua jurisdictione prorsus exemptum, decernentes parochiales Ecclesias ejus, quæ minimè probantur exemptæ, tibi diocesana lege subiectas. Nec enim ex libertate capitis membrorum nascitur libertas: quæ quia juri communi derogat, nominatim, expresseque dari debet, & nominatim probari.) Ut post congestos à Barb. in *presenti, & alleg. 123.* docet Bolquetus in *notis ad dictam epist. 7.*

CAPUT XVIII.

Idem ^a *Aufonen. Episcop.*

Ex parte tua fuit quæsitum, utrum clerici, & laici, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ ex pronomine, cum omnibus rebus suis sub Apostolicâ protectione consistere declarantur, à jurisdictione Episcopi diocessani sint exempti. Nos autem tibi respondemus, quod per literas hujusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè ^b subtrahuntur.

NOTÆ.

1. a **A** *Usonen.*) In tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 8.* legitur *Auron.* sed perperam; nam Aufona civitas antiqua Episcopali Sede condecorata est in Hispania, in provincia Taraconensi, ad montis Pyrenæi radices sita, hodie dicitur *Viequa* à Barcinone decem milliariibus Hispanis, à Gerunda sex distans. Ejus vetusti simũ nomen *Ausa*, five *Aufona* fuit, de quo, & ejus conditore agunt Pujadas *lib. 4. hist. Catal. cap. 14. & 34.* Tamayus

^a Salazar *tom. 3. martyrol. Hisp. die 28. Maji.*
^b *Subtrahuntur.*) Consonant textus in *cap. recepimus, hoc tit. cap. per tuas, de majorit. & obed.* Ideoque exemptio non probatur per literas protectionis, quas plerumque Pontifex certis personis, aut monasteriis concedit, ut probat Bruno Chafsaing, *de privil. regul. tract. 2. cap. 2. propos. 1.* qui resolvit, protectionem hanc illud operari, videlicet ut ita receptus sub protectione non possit excommunicari, interdici, aut suspendi ab aliis quàm à Pontifice, aut Legato à latere.

CAPUT XIX.

Idem ^a *Ehemsi. Episcopo.*

Pastoralis officii. *Et infra:* Interrogasti præterea, utrum viri religiosi, quibus à Sede Apostolica est indultum, ut Ecclesias suas in proprios usus ^b convertere possent, decedentibus ^c personis earũ, liceat auctoritate propriâ possessiones earundem Ecclesiarum

Ecclesiarum intrare, vel per diocesanum in ipsam sint potius inducendi. Ad quod utique respondemus, quod nisi fortè in indulgentia Summi Pontificis id continetur expressum, suo Episcopo inconsulto in possessionem ipsarum eis non est licitum introire, quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali juri non credimus derogari.

NOTÆ.

facta monasterio tantum operatur effectum defunctum Rectore ipsius Ecclesiæ, ut probavi in cap. sicut unire, de excess. Pralat.

d. Possessionem.) Tum quia privilegium ita interpretandum est, ut quanto minus noceat juri communi: tum quia nemo potest apprehendere propriam auctoritate possessionem beneficii, Ecclesiæ, ut probant Covarruv. lib. 3. var. cap. 6. num. 7. Moneta de commut. cap. 11. num. 91.

1. a **H**elenfi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. & in cap. pastoralis, de offic. ordin. ubi alias partes hujus decretalis congesti.
b Convertere.) Quod aliàs facere non poterant, juxta traditam cap. 2. de supplend. neglig. cap. de monachis, de preb.
c Personis.) Possessoribus videlicet; nam unio

CAPVT XX.

Idem Episcopo & Capitulo^a Tripolitan.

Petitistis per Sedem Apostolicam edoceri, utrum cum propter Hospitalarios, vel Templarios civitas vestra generali supponitur interdicto, eisdem non fervantibus, vos illud teneamini observare. Ad quod sic duximus respondendum, quod illorum excessus vobis non præbet licentiam excedendi: sed si præfati Hospitalarii, vel Templarii privilegiorum suorum fines exceßerint violando temerè interdictum, quod pro illis fuerat promulgatum, ne ipsi videantur de aliorum fletu ridere, vos in pœnam præsumptionis eorum quamdiu ipsi violaverint interdictum, de nostra licentia^b celebretis. Datum Signiæ xiv. Kal. Octob. P. N. anno 15.

NOTÆ.

hunc transcribo. De Tripolitana Ecclesia nonnulla adduxi in c. 1. de transl. Episcop.

b Celebretis.) Speciali gratiâ, quæ in præfenti à Pontifice fit, aliàs et si Hospitalarii non observassent interdictum, tamen alii clerici illud observare debebant.

1. a **T**ripolitano.) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 3. & reperitur textus hic in ipso registro Innoc. III. edito à Bosqueto lib. 3. regestr. 15. epist. 160. ex quo textum

CAPVT XXI.

Idem.

Quoniam sicut nobis per tuas literas intimasti, per confessionem constat partis adversæ, quod^b Nepesinus Episcopus Episcopale jus percipit in Ecclesia sancti Blasii de Flano, ac per hoc eadem Ecclesia non pertinet ad monasterium pleno jure credimus, quod non obstante illo Capitulo privilegii, quo ipsi monasterio est indultum, ut nullus Episcopus Ecclesias utroque jure illi subjectas interdicto supponere, vel vicarium, vel clericum ejusdem monasterii synodare, vel excommunicare præsumat, præfatus Episcopus possit interdicerè dictam Ecclesiam, & excommunicare monachum ad ejus regimen^c deputatum, cum alterutrum de jure faciendum fuerit; quoniam illud caput intelligendum esse videtur de monachis aut clericis in ipso monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis utroque jure sibi subjectas.

NOTÆ.

Colonia fuit populi Romani, ut referunt Frontinus, Velleius, & Patercultus relati ab Ughellio tom. 1. Ital. sacra, fol. 1096. qui refert originem, & progressum hujus Ecclesiæ, traditque seriem ejus Præsulum. His temporibus Innocentii III. eam Ecclesiam regebat Gerardus.

c Regimen deputatum.) Ex consensu Episcopi, juxta traditam in cap. 1. de capel. monach.

1. a **D**em.) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 4. nullibi tamen exprimitur, cui Præfato referbat Innocentius, nec inter ejus epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto verba in præfenti transcripta reperiuntur.
b Nepesinus.) Nepis civitas est perantiqua Etruriæ, quam Strabo Nepisam vult appellare. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Idem Archiepiscopo^a Londin. Ap. Sed. Legato.

Quia circa. *Et infra*: Subsequenter etiam quaesivisti, utrum monachi ^b Omnium Sanctorum privilegium bonae memoriae B. praedecess. tui super Episcopopalibus ^c decimis retinendis indultum extendere valeant ad possessiones adquisitas, & postmodum acquirendas. Super quo tale damus responsum f. t. quod si decimarum illarum remissio facta secundum canonicas sanctiones existit, praedecessor tuus indefinitè decimas Episcopales monasterio remittendo, cum nihil exceperit, & poterat excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una, eademque substantia diverso jure cenferi; intellexisse videtur de decimis non solum possessionum illius temporis, sed futuri.

NOTA.

1. ^a **L**ondmensi.) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 4. Sed integram hujus textus, & ejus veram inscriptionem dedi in cap. quia circa, de bigam. non ordin.

^b Omnium Sanctorum.) Monasterium hoc est Ordinis D. Benedicti, in dicecesi Lundeni, ut refert Tamburinus in serie Abbatum, verbo Lundenis.

^c Episcopopalibus decimis.) De quibus egi in cap. 4. de prescript.

COMMENTARIUM.

2. **I**n hoc textu Innocentius III. docet Episcopum privilegio suo concedentem monachis decimas Episcopales non solum praesentes, verum & futuras, remississe videri, videlicet solvendas de praediis postea acquisitis per ipsos monachos: quod difficile valde videtur ex sequentibus juris principiis. Primum nascitur ex eo, quia licet Summus Pontifex possit concedere exemptionem à solutione decimarum, tam monachis, quam laicis, c. decimas 16. q. 1. c. ult. ut lit. pendent. c. cum dicat, de Eccles. adific. c. accedentibus, c. si de terra, c. dudum 31. hoc tit. cap. ex multiplici, c. ex suo gestu, c. ex parte, c. nuper, de decimis; tamen Episcopus non potest simile privilegium concedere, ex vulgari principio, quo docetur, Episcopum non posse privilegium contra jus commune concedere, c. cum dilectis, de elect. Clement. ne Romani, eodem tit. Docent Moneta de commut. c. 5. q. 2. à n. 43. Anguianus de legibus lib. 3. controv. 1. Igitur in praesenti non poterat Episcopus Lundenis exemptionem à decimis monachis Benedictinis concedere. Accedit, nam Episcopi in consilio Capitulo, & sine debita solemnitate aliquid de bonis Ecclesiae, aut propriae dignitatis alienare non valent, c. sine exceptione 52. 12. q. 2. quia non sunt rerum earum domini, sed economi, cap. fraternitatem 2. de donat. cap. 1. de his quae sunt à Pralat. Igitur etiam ex defectu solemnitatis praesens concessio exemptionis inefficax erat. Secundo difficultas etiam redditur hac decisio ex eo, quia futura non cadunt sub indefinita dispositione, l. si ita. l. final. in princip. ff. de auro & argent. ubi legato relicto per illa verba, Argentum meum; tantum intelligitur relictum, quod testator habebat tempore testamenti. Docent Menochius lib. 4. de presumpt. casu 127. n. 34. Mantica de conject. lib. 3. tit. 11. n. 1. Castillo de usufruct. c. 44. n. 4. Perez de Lara lib. 1. de capel. c. 16. n. 3. Igitur in praesenti casu sub generali, & indefinita concessione exemptionis à solutione decimarum non comprehenduntur futura. Facit textus in Clement. final. de rescript. ubi docetur, rescriptum gratiosum ad beneficium vacaturum, non extendi ad beneficium postea crea-

tum: igitur quia concessione gratiosa, etsi indefinita, non comprehenduntur futura, Quibus difficultatibus ut suo ordine satisfaciamus, pro prima solutione dicendum est, Episcopum Lundensem in praesenti casu non concessisse exemptionem à decimis Episcopopalibus per modum privilegii, sed beneficii, & donationis; unde quamvis Innocent. III. praesentem concessionem privilegii appellasset in principio textus ibi: privilegium praedecessoris tui; accipiendo illud latè pro concessione superioris, tamen in ipsa decisione expressè agnovit concessionem per modum beneficii factam fuisse, in illi, verbis: in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda. Unde quia concessio haec ut beneficium suslinetur; ideo ad futura extenditur, & latam recipit interpretationem, juxta textus in c. cum dilectus 6. de donat. c. olim, de V. S. l. 3. ff. de consuet. Princip. l. 3. ff. de jure immunit. & tradita supra in c. si de terra, aliàs si ut privilegium suslineretur, praesens concessio strictam reciperet interpretationem, c. ex tuarum 11. de auctorit. & usu pal. c. super eo 15. de offic. deleg. cap. porro, cap. sanè, cap. cum capella, hoc tit. aliis relatis docuit Cancercus tom. 3. var. cap. 3. à n. 2. Nec obstat secunda difficultas pro cuius solutione varia adduxerunt Interpretes. Cabedo 2. par. decis. 22. à num. 5. existimat in praesenti casu specialiter exemptionem extendi ad futura, quia facta fuerat monachis, & ita favore religionis futura etiam comprehendi sub ea, ex vulgari principio; quia videlicet summa est ratio, quae pro religione facit. Verum hac solutione omissa, alii relati ab Arias de Mesa lib. 3. var. cap. 13. discrimen constituunt inter indefinitam dispositionem, cui adjectum est pronomen meum; & inter eam, in qua adjectum non est. Primo casu asserunt, indefinitam dispositionem non protrahi ad futura, quia restricta est per pronomen meum, dict. l. si ita 7. l. final. ff. de auro & argent. Secundo vero casu ad futura indefinitam dispositionem extendi, l. quidam 7. ff. de vino, triticoque, l. cum aurum 20. ff. de auro & argent. ubi in legato auri, vel tritici comprehenditur omne, quod testator habebat tempore mortis; quam distinctionem explicat, & limitat Arias à Mesa lib. 13. var. cap. 13. cum sequent. Sed ea omisa dicendum est in praesenti, ideo concessionem extendi ad futuras decimas, quia agebatur de interpretatione similis exemptionis contra ipsum concedentem, Episcopum videlicet successorem in dignitate. Cum enim ille tempore concessionis clausula indefinita usus fuerit, cum potuisset apertius exprimere, se tantum de decimis praesentibus sentire, ideo contra eum interpretatio lata sit: quae interpretatio facile colligitur ex illis verbis, cum nihil exceperis, & potuerit excepisse

excepisse. Nec obstat quod dicebamus, ex defectu solemnitatis in quacunque alienatione rei ecclesiasticæ adhibenda, nullam fuisse concessionem ab Episcopo Lundeni in præsentis casu factam; nam licet non exprimitur in facti serie, talem solemnitatem adhibitam fuisse; tamen eam præcessisse factis exprimitur in illis verbis: *Remissio facta extitit secundum canonicas sanctiones*. In quibus verbis factis expressè Innocent. exigit, in hac concessione necessariam esse solemnitatem à jure præscriptam similibus alienationibus. Nec tandem obstat textus in dict. *Clementina ultima, de rescript.* pro cuius conciliatione cum præsentis textu Zabarella ibi, Petrus Barbosa in *l. divorcio 8. §. quod in anno, n. 17. ff. solut. matrim.* existimant discrimen esse constituendum inter dispositiones indefinitas, univer-

sales, & particulares; ita ut priores ad futura etiam extendantur, non verò posteriores. Sed eà solutione omisâ, & aliâ adducta à Valasco *consult. 58. num. 11.* dicendum est cum Barbosa in dict. *Clem. final. Castillo de tertis, c. 14. n. 39.* quos sequitur Arias à Mesa *lib. 3. variar. cap. 41. n. 25.* ideo in specie dictæ Clementinæ rescriptum gratiosum non extendi ad beneficia erecta, quia in ipsis literis gratiosus expressus fuit certus modus vacationis, beneficii vacaturi scilicet, qui modus non poterat verificari in beneficio postea creato, cum illud erigi, non vero vacare dicatur: Accedit, quia talis erectio nova beneficii non potest ferri inter modos beneficii vacandi, cum nunquam collatum esset tale beneficium.

C A P V T XXIII.

Idem. in Concilio Generali à Later.

Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes sanctâ universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam (quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, & magistra,) à Constantinopolitana primum, à Alexandrina secundum, à Antiochena tertium, & Hierosolymitana quartum locum obtineat: servatâ cuilibet propriâ dignitate: ita quod postquam Antistites eorum à Romano Pontifice receperint pallium (quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne) præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsonem obedientiæ ab eisdem Dominicâ verò crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicunque summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis ad eos (cum necesse fuerit) provocetur: salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis: quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

NOTÆ.

^a *Lateranensi.* Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 6. & reperitur textus hic in cap. 5. Concilii Lateran. generalis, celebrati sub Innocentio III. de quo nonnulla adduxi in cap. 1. de Summa Trinit.

^b *Privilegia.* Hic deduci videtur, non jure communi, sed privilegio speciali competere Patriarchis jus deferendi crucem ante se: quod edoceri videtur in c. 1. ut licet pendet. ubi cum de hac delatione crucis agitur, ait Alexander III. *Quemadmodum vobis est beneficio privilegiorum Apostolicæ Sedis indultum. Et c. conquestus 9. q. 3. ibi: Primates autem, vel Patriarchæ, nihil privilegii habere præceteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt vel prævia consuetudo illis antiquitus contulit, deservimus.* Sed contrarium verius est, immò quod Patriarchæ possunt per totam ditionem suam crucem ante se deferre intra Provincias Metropolitanorum, ut potest etiam Archiepiscopus eam deferre infra dioceses suffraganeorum, dict. cap. 1. ut licet pendet. *Clementina 2. hoc tit.* Faciunt textus in l. 1. ff. de offic. Proconsul. l. 1. Cod. de Prepositis sacr. cubic. lib. 1. 2. l. in sacris, Cod. de proximis sacr. scrip. lib. 12. probat Azor in *inst. moral. c. 36. q. 1.* Petrus Gregorius lib. 15. *synag. c. 9. n. 6.* Pancirolo lib. 1. *var. c. 20. §. habent.* Gratianus *discept. forens. c. 467. n. 5.* Acuna de primatu *Bachar. c. 6.* Nec contrarium probatur in præsentis textu, quia in eo speciale continetur privilegium, ut Patriarchæ possent

ubique crucem ante se deferre; quod sacre nequibant jure communi attentio, sed tantum intra proprium Primatum: unde virtute privilegii hujus eam deferunt ubique excepta urbe Romana, aut ubi Legatus S. A. reperitur.

^c *Principatum.* Ecclesia enim Romana semper primatum habuit, & Ecclesia universalis est, unde sacerdotalis unitas exoritur. Irenæus lib. 3. *contra Valent. cap. 3.* Synodus Nicæna *can. 6.* Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Pelagius I. in *epist. ad Sapaudum*, ibi: *Apices Primatum à solis ortu usque ad occasum.* Cujus Episcopus cætos fidei dicitur in Concil. Ephesino *act. 2.* Sanctissimus, & Beatissimus universalis Patriarcha magnæ Romæ appellatur ab Athanasio in *libello ad Leonem Papam.* Episcopus universalis à Sixto I. in *epist. 2.* ibi: *Sixtus universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus.* Gregorius IX. *epist. ad Gennadium.* ait de Pontifice, quod illi competit apex Primatus à solis ortu usque ad occasum. Pater Patrum, Episcopus Patriarcharum dicitur ab Athalarico Rege apud Cassiodorum *lib. 9. ep. 15.* Et Valentiniæ nus in *ep. ad Theodosium*, p. 1. *Concil. Chalced.* ait: *Principatum habens sacerdotii, ad quem secundum consuetudinem Synodorum appellant Patriarchæ.* Theodosius in *Novel. 24.* quæ extat ad calcem Codicis Theodol. ait: *Cum Sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meriti, qui princeps est Episcopalis coronæ, & Romana civitatis dignitas, sacra etiâ Synopi firmavit auctoritas, ne quid præter auctoritatē istius Sedis illicitum presumptio*

presumptio attentare nitatur, tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si Rectorem suam agnoscat universitas. Et plerumq; universalis Episcopus dicitur, ut variis auctoritatibus probat Ant. Aug. in epi. lib. 1. tit. 2. Eodemque significatu nemini ab Universali Concilio reperitur attributus titulus universalis, nisi soli Pontifici Romano Leoni Magno à Concilio Chalcedonensi, non solum in epistolis eidem Pontifici ab Alexandrinis directis, & in Concilio publicè lectis, ut in prima parte ejusdem Concilii, verum etiam in titulo epistole ab ipso Concilio pro confirmatione gestorum eidem Pontifici transmissæ, ut in 3. part. Concilii, num. 2. Et quamvis hodie in ea epistola hic titulus alicujus dolo librarii non legatur, ut observat Baronius tom. 6. anno 451. num. 150. in ejus tamen inscriptione vel alibi hunc titulum fuisse à sacro Concilio Leoni attributum, omni certitudine affirmandum est. Sic enim ait sanctus Gregorius lib. 4. epist. 36. ad Eulogium: *Vestra sanctitas novit, quod uni per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolica (cui Deo disponente deservio) hoc universitatis nomen ablatum est. Quod verò subdit: Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti consuevit; observat Baronius ubi supra, esse intelligendum ita, ut nemo Romanorum Pontificum eo titulo, ex solenni ritu semper & in omnibus inscriptionibus, vel subscriptionibus usus sit, atque in eundem sensum loquutus videtur Leo IX. epist. ad Michaëlem Patriarcham, quam refert etiam Baronius tom. 11. anno 1054. num. 12. cuius hæc sunt verba: *Qualis verò, & quam detestabilis, atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatione: quâ te universalem Patriarcham jactas ubique & scripto, & verbo: cum omnis Dei amicus hujusmodi hætenus horruerit honorari vocabulo. Et quis post Christum convenientius possit insigniri hoc vocabulo, quàm cui dicitur divina voce: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? &c. Veruntamen quia ille non invenitur universalis Apostolus dictus, quamvis princeps Apostolorum sit constitutus; nullus successorum eius tam prodigioso prænomine consensit appellari penitus, licet Magno Leoni prædecessori nostro, & successoribus ipsius hoc sancta decreverit Chalcedonensis Synodus. Nempè animadvertentibus, non esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari; quin potius paranympum, & leonem Antichristi, qui adversatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes vester, cuius vesana adinventio adhuc heredes permanetis (de Ioanne Patriarcha loquitur, qui primus sibi Oecumenici prænomen indidit, qui secundum Psalmistam, per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis; cum interit, non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria ejus ad infernum; quia cum in honore esset, non intellexit: ipse à beatissimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio, successoribusque eorum pro hac insensentia anathematizatus in sua pertinacia irrevocabilis perit, jamque per quadraginta & quadringentos annos sua contumacia sequaces precipitare non cessavit. Hæc Leo IX. sed & Hadrianus Papa in epistola ad Constantinum & Irenem Augustos, quæ extat in actis 7. Synodi act. 2. hæc ait: *Valde mirati sumus, quod in vestris Imperialibus jussis pro Patriarcha Regie urbis (scilicet Tarasio directis) universalem ibidem comperimus exaratum: sed utrum per imperitiam, vel hæresim iniquorum scriptum est, ignoramus: sed demique suademus vestræ clementissime, Imperialique potentia, ut minime in suarum exaratio-***

num serie universalis describatur, quia contra sanctorum canonum instituta, seu sanctorum Patrum traditionum decreta esse videtur. In secundo enim ordine non nisi per sancta nostra Catholica, & Apostolica Ecclesia auctoritatem valuit nomen habere: quod nimirum super prælatam sibi sanctam Romanam Ecclesiam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, describitur, tanquam sanctarum Synodorum rebellem, atq; hæreticum manifestare se certum est. Quod si universalis est, etiam Ecclesia nostra sedes primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus, & potestas data est, & per eundem Apostolum, cuius (licet immeriti) vices gerimus, Sancta, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia hætenus, & in ævum tenet principatum, ac potestatis auctoritatem: quatenus (quod non credimus) si quispiam eum universalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei esse alienum, & nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesie rebellem. Doctè probantur hunc Romanæ Ecclesie Primatum supra cæteras Ecclesias, P. Suarez de fide disput. 10. sect. 2. Germonius lib. 3. de sacror. immunit. cap. 4. 1. Darts de benef. sect. 1. cap. 2. Idem in tract. de Ecclesie suburbicariæ, cap. 13. cum sequent. Baronius anno 45. num. 2. & 206. num. 3. & 215. num. 3. Turrianus lib. 1. pro canon. Apost. cap. 16. & lib. 2. pro epist. Pontif. c. 3. & 4. & lib. 3. c. 10. & 14. Roullélius lib. 8. hist. Pontif. juris. cap. 2. Theophilus Raynaud. in corona aurea Rom. Pontif. verbo Patriarcha universalis; & verbo Primas dioeceseos; & verbo Primas Primatum, in digest. Alphabet. Morinus lib. 1. exercit. c. 1. F. Angelus Petrica de appellat. ad Rom. sancti Petri Cathedrali, lib. 1. disput. 2. per tot. Philippus Berterius Pithaon diatrib. 3.

Et si nihil apertius sit iis, que proxime adduximus pro universali potestate Summi Pontificis, tum ex Conciliis, tum ex Patribus, tum ex legibus; tamen quia nonnulli, qui nodum in cirpo nonnulli querunt, contrarium tenent, moti quibusdam canonibus perperam expensis, ut in dubium revocent hanc universalem Pontificis auctoritatem, ideo eos, et si breviter, exponere operæ pretium duxi. Primus est canon. 6. Concilii Afric. relatus à Gratiano in cap. prima Sedis, 99. dist. in illis verbis: *Prima Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi. Ex quibus verbis deducitur, Pontificem non rectè appellari universalem Patriarcham, seu Primatum. Pro cuius canonis expositione supponendum est, illum deductum esse ex Concilio Provinciali in Africa celebrato, ubi corruptela vigebat, ut Episcopi Principis Sacerdotum, & Summi Sacerdotes vocarentur. Optatus Milevit. lib. 5. contra Parmen. *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nullâ fuerant dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & Principes omnium Episcopi. Tertul. lib. de baptismo, ibi: *Dandi quidem baptisimi jus habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus. D. Augustin. lib. 9. ex utroque testam. mixt. quest. 100. *Quid est Episcopus, nisi primus presbyter, hoc est primus Sacerdos. Quia verò ad fovendam suam ambitionem hæc nomina quidam trahebant, & superbum aliquid voces illæ significabant, ab Africanis Patribus damnatae sunt, & cautum, ne primæ sedis Episcopus appelletur Princeps Sacerdotum, ut legitur in canone 27. Concilii Hippo. 39. Codicis canonum****

3
Exponitur
nonnulli
canones

canonum Ecclesie Afric. apud Fulgentium Ferrandum *can. 82.* Pontifici autem rectè tribuitur nomen Universalis, quia ut rectè D. Gregorius *lib. 4. epist. 38.* ait, Pontifex Romanus non ita sibi accipit titulum universalis, & œcumenici Patriarchæ, ut despectis fratribus Episcopus appetat solus vocari; sed universalis dicitur, quia per universum orbem propagatæ Ecclesie Pastor est. Prosequuntur ipsius textus varias interpretationes I. Dartis *in 99. dist. & de Eccles. sub urbic. c. 17.* Barbofa *de potest. Episcop. p. 1. tit. 1. cap. 6. num. 9.* Baronius *anno 397.* Martha *de iurisdic. part. 1. cap. 10.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 30. alter Mendoza Augustinianus quest. 4. scholast. num. 3.* Turrian. *lib. 3. pro canon. Apost. cap. 2.* Coriolanus *in not. ad ipsum can. 26. Concilii Carthag. 3. Jusseus in not. ad dict. can. 39. Eccles. Afric.* Coqueus *contra Morneum 1. part. fol. 210.* Franc. Hallier. *de hier. iurisd. fol. 851.* Secundus canon, qui ab hereticis expendi solet, est canon 36. 6. Synodi, ubi Patres renovant constitutiones secundam & quartam Synodi Constantin. quæ Episcopo Constantinopolitano paria tribuerunt jura cum Romano Episcopo: ergo quia Romana Ecclesie auctoritas universalis non est. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in canone illo 36. profus alienum à veritate referri; siquidem nunquam Ecclesia Constantinop. aequalibus privilegiis decorata fuit, ac Romana, ut sequenti numero dicemus. Canon igitur ille furtivus est, non Sanctorum Patrum, sed Anatolii Episcopi. Verba canonis extant in canone renovantes, 22. dist. & ita juxta mentem Anatolii & ambitionem Gregoriorum canon ille editus fuit. Tertius, & difficilior est canon 6. Concilii Nicæn. *relatus in cap. mos antiquus, 65. dist. in illis verbis: Mos antiquus servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim; ut Alexander Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Rome Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, ceterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesis.* Ex quibus deducunt heretici, æqualem esse potestatem Alexandrini Episcopi cum Romano Pontifice. Pro cujus canonis expositione sciendum est in libris vulgatis deesse ejus initium, quod tale est, *Ecclesia Romana semper habuit primatum, mos autem, &c.* ut notavit Coriolanus *in not. ad eum canonem.* Vera ergo sententia ipsius canonis est, Ecclesiam Romanam semper habuisse Primatum, sed Alexandrinum Episcopum rexisse Provincias illas, quia Romanus Episcopus ita consuevit, id est, quia Romanus Episcopus ante omnium Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis: quo modo textum illum accepit Nicolaus I. *in epist. ad Michaëlem.* Non ergo in canone illo fines assignantur Romano Pontifici, & aliis Patriarchis, ut falsò Calvinus, & Nilus existimant; sed tantum cavetur, ut Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis sua privilegia serventur, juxta antiquam consuetudinem; quia cum aliud Concilium generale adhuc celebratum non esset, in quo fines cujusque Patriarchæ prescripti fuissent; ideo tantum juxta veterem morem privilegia sua illis servari jubetur in eo canone. Alias ipsius textus interpretationes adducunt Balsamon & Zonaras *in ejus scholiiis, Petrus Marcha part. 1. cõcord. Sacerd. & Imp. cap. 7.* Suarez *de fide disput. 10. sect. 2.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 1. num. 64.* Joannes Cabasutius *in notitia Concil. in Concil. Nicæno, cap. 7.*

Barbofa *in collect. ad illum textum, Covar. lib. 4. var. cap. 14. num. 11.* Bellarminus *de Rom. Pontif. cap. 13. & 17. colum. 3.* Narbona *de appellat. à Vicario lib. 2. fundam. 1. num. 20.* Turrianus *lib. 3. pro canonib. cap. 2. & 3. & pro canonibus 6. Synodi, & de dogmat. fol. 84.* Baronius *anno 375.* Martha *de iurisdic. 1. part. cap. 5.* Cesar *de Eccles. hierarch. disput. 4. s. 2.* Morinus *lib. 1. exercit. cap. 29.* Leonardus Coqueus *in antimor. fol. 155.* Leo *contra Warandum cap. 7.* Simondus *in opusc. de Eccles. suburbicar. Joannes Dartis eod. tract. cap. 17.* Gibal. *tom. 2. scient. can. lib. 5. cap. 5. confect. 2.* Christ. Lup. *ad can. 6. Concil. Nicæn.*

d Constantinopolitana.) Olim Alexandria primum locum obtinebat; sed postea connivente, & tolerante Romano Pontifice Patriarcha Constantinop. tribus aliis prælatus fuit, & in Concil. Constantinop. 1. can. 3. ita cautum legitur: *Constantinopolitana civitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanam Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* Novel. 131. in qua postquam Justinianus egisset de Conciliis Nicæno, Ephesino, Constantinopolitano, & Chalcedonensi, in quibus presupponebat insertum, & approbatum canonem de Archiepiscopo Constantinopolitano, subdit hæc verba: *Ideoque sanximus secundum earum definitionem, Sanctissimum senioris urbis Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Reverendissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctissimam Apostolicam senioris Romæ Sedem.* Hæc Imperator, qui quoddam sciret non esse Imperatoris auctoritatis ordinem prescribere Sedibus, earundem Synodorum definitionibus inharendo id se sancire dicit, & perperam. Etenim cum tam ex Concilio Constantinop. quam Chalcedonensi id sibi vindicare conati fuerint Episcopi Constantinop. semper adversatus est Leo, ut superiori numero retuli. Faciunt pro eadem Justiniani opinione textus in l. 3. Cod. Theodof. *de fide Cathol. l. 6. eod. Cod. de patroc. vicar.* Canonem autem illum de Primatu Ecclesie Constantinop. post Romanam, à sancto Leone Papa fuisse reprobatum tradit Baronius *tom. 6. anno 452. num. 9. & 453. num. 5. & tom. 12. anno 1191. num. 12.* Immo nec Nicolaus I. illum canonem agnoscit in epistola ad Michaëlem Imperatorem, quæ incipit, *proposueramus;* sed Patriarchæ Constantinopolitani Imperatorum freti potentia secundum post Rom. Pontificem locum sibi usurparunt; qui locus tandem à Romanis Pontificibus fuit permixtus, & primò ab Innocentio in præfenti textu: tum ut Græcos hæcenus nuntantes in Ecclesia Romanæ subjectione ad unionem devinciret: tum quia pluribus sæculis reliqui Orientis Patriarchæ locum Constantinop. sponte cesserunt; notarunt P. Marcha *lib. 3. cõcord. cap. 7.* Cabasutius *in not. ad Concil. Constantinop. Binius in not. ad can. 5. ipsius Concil. Bellarm. tom. 1. controv. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 24.* Coriolanus *in breviario, anno 692.* Christ. Lupus *ad hunc canonem Verum Græcorum ambitione Patriarcha hic universalem se appellare non erubuit, renuente Romano Pontifice; & si Baronius tom. 9. anno 787. num. 8. in fine, referat: Titulum Universalis, Patriarcha Constantinopolitano, licet nunquam approbatum, toleratum & nomen à Latinis fuisse, indulgentius loquitur: & quidem nimis Acorius tom. 2. de institutionibus, lib. 4. cap. 4. in fine, dum ait: Post Phocium Patriarcham Romanis Pontificibus annuentibus hunc titulum usurpari à Græcis captum esse. Cæ-*

terum Anastasius bibliothecarius in præfatione 7. Synodi alloquens Joannem VIII. Summum Pontificem, sic ait: *In eo sanè, quod frequenter universalem in hac Synodo Græci Patriarcham suam appellant, Apostolatus vester Græcorum adulationi veniam det, Prælati suis non sine reprehensione placere studentium. Verùm cum apud Constantinopolim positos frequenter Græcos saper hoc vocabulo reprehenderem, & fastus arrogantiam redarguerem, asserbant, quod non ideo œcumenicum dicerent Patriarcham, quod universi orbis teneat Præsulatum, sed quod cuidam parti præstet orbis, quæ à Christianis inhabitatur.* Hæc Anastasius. Sed frigidam illam excusationem refellit Baronius tom. 9. anno 787. n. 7. & hunc titulum Oecumenici, id est universalis, sanctus Gregorius Papa adversus Joannem Patriarcham, qui primus huic sibi titulum temerè assumpsit, ita est interpretatus, ut ipse sibi illum denegaverit. Interpretatus est enim privatè quoad omnes alios, ita ut qui se inscriberet œcumenicum, id est universalem, omnes alios Patriarchas, & Episcopos censeret esse privatos, & se solum Pastorem crederet habitabilis terræ. Sic enim ait epist. 38. lib. 4. quam refert etiam Baronius tom. 8. anno 595. num. 31. Nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne cum sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Et epist. 32. Nullus unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, ne dum privatum aliquid datur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Cæterum Innocentius III. Papa aliam etiam intelligentiam tribuit titulo œcumenici, secundum quam respondendo Joanni Patriarchæ Constantinop. docet illum convenire soli Rom. Pontifici: sic enim ait epist. 198. lib. 2. quam refert idem Baronius tom. 9. anno 787. num. 8. Dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ ex universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur: & secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia; sed pars universalis Ecclesiæ; prima videlicet, & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit; ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Dicitur etiam universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet universas Ecclesias, & secundum hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singulari privilegio dignitatis cæteris est prælata; sed & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi divinus in species, aut specialissimas, aut subalternas; sed quoniam universa sub eius dominio continentur. Prosequuntur alia Sfortia in hist. Concil. Trident. lib. 1. cap. 16. Theophil. Raynaud. tom. 10. in Corona aut e a Rom. Pontif. in digessione alphabet. verbo Episcopus universalis. De urbe Constantinop. alia adduxi in cap. quanto, de consuet.

5. e Alexandria.) Alexandria Ægypti illustris civitas, ab Alexandro Macedone, Justino teste, condita, & nominata fuit, & cæterarum hujus nominis civitatum maxima existit, & opulentissima. Ammianus Marcel. lib. 22. Alexandriam verticem omnium civitatum appellat. Herodianus lib. 7. post Romam primum locum ei tribuit; nam ab Augusto Præfectura Alexandrina, à quo Augustalis denominabatur, magnificentissime præcæteris nobilitata fuit; & post illam Præfectura Syria, cujus Metropolis erat Antiochia, secundum tenebat locum, ideo D. Petrus statuit Alexandrinam post Romanam primum, & Antiochenam secundum obtinere locum. Hinc etiam fa-

etum est, ut idem Ecclesiæ Princeps dilectissimum discipulum Marcum Evangelistam ad prædicandum Christi Evangelium Alexandriam miserit, ubi velut in quodam orbis theatro, ex Asia, Africa, & Europa tot gentes simul collectæ erant, ab eo prima fidei elementa reciperent Alexandrini. Quamobrem Leo I. epist. 81. Dioscoro Alexandrino Episcopo referens ait: *Cum enim Batiffimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primum Ecclesiam gubernavit, alius regulis traditionum suarum decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratie unus spiritus fuerit, & discipuli, & magistri.* Huic Patriarchæ Alexandrino tota Africa regenda committebatur, ut constat ex dicto cap. mos. 65. dist. & aliis congestis ab Antonio Augustino lib. 2. tom. 3. & explicant Morinus lib. 1. exercit. cap. 1. num. 9. & cap. 3. & cap. 5. per tot. Plura adducunt de hoc Patriarchatu Petrus Marcha part. 1. concord. Sacerd. & Imp. lib. 1. cap. 5. punct. 6. & 7. Baronius anno 35. num. 10. & 112. num. 3. & 254. n. 79. & 263. num. 30. Turrian. lib. 3. pro canonib. Apost. cap. 8. num. 236.

f Antiocheno.) De Patriarcha Antiocheno jam nonnulla adduxi in cap. 1. de translat. Episcop.

g Hierosolymitana.) Cum vetus, & venusta Hierusalem subversa, & destructa sapius esset, ut Salvator noster prædixerat apud Matthæum c. 23. ibi: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et cap. 19. Luca: *Quia veniet dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undiq., & ad terram prosternerent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Urbs quæ nunc adest, non est eadem ac illa, quæ olim fuit: quare Nicolaus I. ad consult. Bulgar. cap. 92. ait: *Hierosolymitanus autem Præsul, licet & ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicanam Synodum honorandus sit; salva tamen Metropoli propria dignitate: sed in eadem sancta, & magna Synodo nequaquam Hierosolymitanus, sed Helie Episcopus dicitur: nam vera Hierusalem tantum in caelis est, quæ est mater nostra; illa verò Hierusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeo funditus ab imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit relictus, & ab Helio Hadriano in alto est loco constructa, ita ut locus Dominice crucis extra portam, nunc intra cernatur, & à predicto Helio Hadriano urbs illa Helia vocetur.* Quare PP. Concilii Nicæni, can. 7. de hoc Patriarcha ita statuerunt: *Quoniam mos antiquus obrinuit, & vetusta traditio, ut Helie, id est Hierosolymæ Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem suum, manente tamen Metropolitana civitatis propria dignitate.*

h Pallium largiatur.) In quo continetur aliud privilegium Patriarcharum, videlicet propriis Metropolitanis pallium concedere, ut probavi in cap. 1. de auctorit. & usu pallii.

i Vexillum.) Quem ritum deferendi crucem illustravi in cap. 1. ne lit. pendent.

k Deferendum.) Concil. Sardic. can. 4. & 5. cap. 1. & per totam 2. quest. 6. & 3. quest. 6. Illustrant fuscè Angelus Petrica in tract. de appellat. ad Cathedram S. Petri.

COMMENTARIUM.

7. **P**atriacha, nomen Græcum est, compositum à voce *πατρις*, id est pater, & à dictione *ἀρχος*, quod est Princeps, quasi Patrum Princeps, cap. ceteros, vers. Patriarcha, 21. dist. probant Meurfius in glossar. verbo Patriarcha, Acunna de Primatu Brachar. cap. 1. & in cap. 1. 99. dist. & in catal. Portugal. Praef. 1. part. cap. 6. Patriarcha nomen antiquissimum est, siquidem sapius reperitur in sacra pagina, 1. Paralip. cap. 8. Tobie cap. 6. Act. Apost. cap. 2. & in epist. 7. D. Pauli ad Hebræos: & à Judæis recentioribus retentum fuit, nam post urbem sacram everfam ipsi habuerunt Patriarcham, qui quotannis suos Archisynagogos mutare solitus erat, ut inde pecuniam ex suis verbis colligeret: quod Refert Tharastus Patriarcha Constantinop. epist. ad Hadrianum Papani: quod idem habetur lib. 3. jur. Græco Rom. ad finem. Refert Epiphanius heresi 30. qui meminit Hellen. Patriarchæ Judæorum, & ante eum Gamalielis alterius, qui & alius fuit à Gamaliel Patriarcha Judæorum, qui sub Theodosio vixit, ut scribit Divus Hieronymus epist. 101. ad Pammachium: & forte est is, de quo in l. 22. Cod. Theodof. de Judæis, legitur: *Quoniam Gamalielus existimavit se posse impunè delinquere, quid magis erectus fastigio dignitatum, ab eo codicillis demantur honoraria præfectura, ut in eo sit honore, in quo ante præfecturâ fuerat constitutus, ac demceps nullas condâ faciat synagogis.* Nam ille prior Gamaliel Epiphanius ante Constantinum Magnum vixit. Patriarcharum illorum mentio fit in l. 14. l. Indeorum 17. Cod. Theodof. de Judæis, expressius in l. 1. eod. tit. ibi: *Judæis, & majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari.* Et in l. 2. ibi: *Qui devotione tota synagogis Judæorum, Patriarchis, vel presbyteris se dederunt.* Et ipsi illustrium nomine decorantur in l. 8. & 11. eod. tit. & Cod. & spectabilium in l. 15. eod. tit. & Cod. & Reverendissimi appellantur à Juliano Apostata in epistola ad Judæorum Rempulicam. Plura de his Patriarchis congeserunt Fiesiacus in cap. duo. 9. §. 7. de offic. ordm. Casaubonus in notis ad Vopisc. pag. 249. Amaya ad leg. unic. C. de auro coronario, num. 23. J. Gothof. in l. 1. & 2. Cod. Theodof. de Judæis, Beycrinch. tom. 6. in theat. verbo Patriarcha. Apud Gentiles etiam Patriarchæ fuerunt; nam eos, qui Ægyptiis in sacris præerant, Patriarchas dictos esse, & Herodotus docet & Hadrianus Imperator confirmat in epistola ad Sevium Consullem apud Flavium Vopiscum. Illustrant Casaubonus ubi supra. Leo Alat. de perpet. consens. Græc. lib. 1. cap. 3. & 25.

8. Sed ut ad Patriarchas, de quibus in presenti canone agitur, perveniamus, sciendum est, tres tantum Patriarchales Ecclesias fuisse à D. Petro institutas: Romanam scilicet, Alexandrinam, & Antiochenam; ut quemadmodum dicecscam in Episcopo, Episcopi in Metropolitanano, Metropolitanus in Patriarcha unum sunt, ita trinitas Patriarcharum in unitate Pontificis coalesceret: sicque Sedis Principis Apostolorum esset in trinitate unitas, & in unitate trinitas: atque his gradibus ad unitatem ascenderet sacerdotum multiplicitas, ut præclare docet Symmachus Pontifex epist. 1. ad Eonium Episcopum Arlat. atque eum sequutus Carolus Rex Francorum scribens ad Hadrianum II. & ad Joannem VIII. cap. 23. ibi: *Ad Trinitatis instar, cui una est, atque individua potestas, unum est per diversos Aristites sacerdotium.* D. Gregorius lib. 6. epist. 37. & lib. 11. epist. 48. Hincina-

rus opusc. 55. cap. 16. ibi: *Cum multi sint apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convuluit, que unus est in tribus locis. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & presentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in quam Evangelistam discipulum misit: ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit. Cum ergo unus, atque una sit fides, cui ex auctoritate divina tres nunc Episcopi president, quicquid ergo de vobis audio, hoc mihi imputo. Ratio autem, cur his in locis Patriarchatum Petrus instituerit, provenit ex eo, nam dum ipse intenderet prima fundamenta ecclesiastica jurisdictionis jacere in futura sæcula observanda à fidelibus, providè & rectè judicavit collocandas esse præcipuas Cathedras ubi temporalis jurisdictionis primaria Tribunalia erant, idque ob consonantiam, & relationem inferiorem urbium ad illa. Tunc autem tres Primatibus, & Metropolitanæ civitates natæ erant ab unione Imperij Orientalis, id est Monarchia Alexandri, & successorum ejus, cum Occidentis Imperio: urbs Antiochia, quam Iosephus lib. 3. de bello Judaico, cap. 3. vocat tertiam urbem orbis Romani, quamque Chrysofomus homil. 5. ad populum, vocat caput, & matrem urbium Orientalium, que caput erat Imperij particularis Orientis Asiatici, post hæc in Syriæ præfecturam, & alias provincias Orientales adjacentes conversi: urbs Alexandrina, quam D. Chrysofomus orat. 22. vocat secundam sub sole urbem; qua sedes erat Imperij Ægyptij, & adjacentium regionum, exinde in Præfecturam Ægypti commutata: urbs Roma, que occidentis Imperij caput erat, ideoque ab Hebræis dicta Imperium Edom, respiciendo ad Idumæam, qua occidentalis erat ad Judæam meridionalem; unde & Titum, qui Hierosolymam diruit, nuncupabant Titum Idumeum. Tumque ergo in Imperio tres erant primariæ Metropoles, civitates duæ subalterna, nimirum Alexandria, caput Imperij Meridionalis, seu Ægyptij, & Antiochia, caput Orientalis, seu Asiatici Imperij; & superemittens Roma caput singulare Occidentis: quare D. Petrus Sedem Episcopalem fixit Antiochiæ, & ibidem per septennium commoratus est, & successor rem designavit Patriarcham jurisdictionis Ecclesiasticæ in Asia Orientali; & inde Romam venit, qua erat caput imperij Occidentalis, ibique Cathedram fixit, quam rexit usque ad vitam extremum. Probat Theophilus tom. 10. in corona aurea R. Pont. prænotat 3. consideransque superesse unam capitalem civitatem Imperij, nimirum Alexandriam, que caput erat Imperij Ægyptij, designavit, & constituit in ea filium suum spirituales prædilectum Marcum Evangelistam, quem suo nomine Episcopatum, & Sedem Patriarchalem ibi fundare præcepit. Unde ortæ sunt tres ille Patriarchales sedes respondentes tribus Imperialibus, sub quibus generalis unio Imperij facta erat. Nec obstat textus in l. 1. Cod. de summa Trinit. ubi docetur, eam fidem sequendam esse, quam docuerunt Damasus Romæ, & Petrus Episcopus Alexandriæ, nullâ mentione factâ Patriarchæ Antiocheni. Ergo quia Ecclesia Antiochena Patriarchalis non est. Pro cuius textus expositione sciendum est, ejus tempore Antiochia schisma fuisse inter Paulinum, & Meletium. Quâ de causa Imperator in ea lege omisit Patriarcham Antiochenum, ut etiam D. Hieronymus ea de causa in epistola ad Marcellinam dixit sentire se cum Damaso, & Pe-*

tro, nullâ Antiochenæ Ecclesiæ factâ mentione Notavit Grotius in floribus ad dist. l. 1.

9. Adhuc quarto sæculo erant tantum hæ tres Sedes Patriarchales à D. Petro instituta, Hierosolymitana enim cepit jus illud obtinere in Concilio Chalcedonenfi sub Leone I. celebrato anno 451. prius enim erat tantum Episcopatus subiectus in prima instantia Cæsareæ, & per appellationem Patriarchæ Antiocheno: honorariè tamen ejus Præsul Patriarcha dicebatur ad hoc dumtaxat, ut consensus in Conciliis post tres veros Patriarchas immediatè haberet, nullatenus vero ad jurisdictionem in territorio Patriarchali exercendam. Iuvenalis ergo Episcopus Hierosolymitanus habuit pro territorio Patriarchali tres Palæstinas, & annumeratus est actione 7. inter veros Patriarchas, quod actione 16. concessum fuit Anarolio Archiepiscopo Constantinop. & ita Antistes Heliæ dignitatem Patriarchalem paulatim sibi usurpavit, motus ex eo, quia frequentia peregrinorum ad ipsam urbem confluentium, ut loca sacra venerentur, magna fuerat: quare plus honorandus erat Hierosolymorum Antistes, quàm Cæsarenses Metropolita. Constantinopolitanus verò Antistes Imperatorum præsidio eandem dignitatem usurpavit, quare Nicolai ad consulta Bulgar. cap. 92. ait: Constantinopolitanus autem, & Hierosolymitanus antistes, licet dicantur Patriarchæ, non tamen tantæ auctoritatis, quanta superiores, id est Alexandrinus, & Antiochenus existunt. Notarunt Carolus à sancto Paulo in præm. geograph. sacr. Angelus Petrica de appellat. disput. 4. Cæsar de Eccles. hierarch. disp. 4. §. 3. Germonius lib. 2. sacror. cap. 4. Dartis in 99. dist. Postea tamen laxato rigore vocis quilibet primas Patriarcha dici cepit, ut Aquileiensis, Seleucienfis, Turonensis, Tolctanus, & alii, de quibus minoribus Patriarchis plura congesterunt Berterius diatrib. 2. Acunna de Primatu Brachar. cap. 4. Cæsar de Eccles. hierarch. disp. 4. §. 3. Aubertus Mireus in notit. Episc. lib. 1. cap. 14.

Unde quæri solet, an una, eademque sit dignitas Primatis, & Patriarchæ! Et nullam inter eos dari differentiam suadet ex cap. 1. 99. dist. ibi: ipsi quoque in civitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenerent, licet diversa sint nomina, leges divina, & ecclesiastica poni, & esse iusserunt. Et cap. conquestus, ibi: Primates enim, vel Patriarchas; 9. quæst. 3. cap. nunc verò, juncta inscriptione eadem. Et ita docuerunt Gonzalez ad regul. 8. Cancellaria. glos. 41. num. 15. Chassaneus in catalogo, 4. part. consider. 9. Cæsar de Eccles. hierarch. disput. 4. §. 1. num. 2. Fiesacus in dist. cap. duo, §. 8. de offic. ordin. Villaroël. tom. 1. regim. eccl. part. 1. quæst. 4. articulo sexto. Sed verius dicendum est, in hac parte discrimen esse constituendum inter Provincias Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis; nam in Oriente ubi sunt suprâ relati Patriarchæ majores, magna differentia versatur inter Patriarchas, & Primates; quia tantum quatuor majores Patriarchalem jurisdictionem exercent, cap. sacrosancta, cep. renovantes, cap. dissimimus, 22. dist. authent. de ecclesiasticis titulis, post princip. collat. 9. In Provinciis verò occidentalibus nulla versatur realis differentia inter Patriarchas, & Primates: quo modo varia loca Concilii Tridentini de his Patriarchis minoribus exponit Acunna de Primatu Brachar. cap. 3. Et hæc de origine, & progressu Patriarcharum sufficiant: eorum jurisdictionem, & munia longum foret recensere. Videndi sunt Barbosa lib. 1. juris eccles. cap. 6. & de potest. Episcop. 1. part. tit. 1. cap. 7. Cæsar. dist. disput. 4. de Eccles. hierarch. Franc. Hallier. de hierarch. juris. lib. 4. per tot. Carrier. tom. 2. digesti fidei. fol. 630. Acunna de Primatu Brachar. cap. 1. cum sequent. Carolus à S. Paulo in præm. geograph. sacr. 1. Dartis de beneficiis, cap. 2. sect. 1. Azor part. 2. inst. lib. 3. cap. 35. quæst. 2. & 5. Theophilus tom. 8. de primatu Lugdun. cap. 1. §. Ant. August. in epit. jur. lib. 2. per tot. Samuel Petitus lib. 2. observ. cap. 11.

CAPVT XXIV.

Idem. ^a in eodem.

VT privilegia, quæ quibusdam religiosis personis Rom. concessit Ecclesia, permancant inconcussa, quædam in eis duximus declaranda, ne minus sanè intellecta, protrahuntur ad abusum, propter quæ possint meritò revocari: quia privilegium meretur ^b amittere, qui permiffa sibi abutitur potestate. Sanè quibusdam regularibus Apostolica Sedes indulfit, ut his, qui fraternitatem eorum assumpserint, si fortè Ecclesiæ, ad quas pertinent, à divinis officiis fuerint interdictæ, ipsosq; mori contigerit, ecclesiastica sepultura non negetur, nisi ^c excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti; suosque confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos. Hæc autem de illis ^d fratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in sæculo eorum Ordini sunt obligati, mutato habitu sæculari; vel eis, qui sua bona dederunt inter vivos, retento sibi, quandiu in sæculo vixerint, usufructu; qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam: ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denariis annuatim sibi collatis dissolvatur pariter, & vilescat ecclesiastica disciplina certâ tamen & ipsi obtineant remissionem à Sede Apostolica sibi concessâ. Illud etiâ, quod hujusmodi regularibus est indultum, ut si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates, sive collectas, in quamlibet civitatē, vel castellum,

lum, vel vicum advenerint, si forte locus à divinis sit officiis interdictus, in eorum jocundo adventu semel in anno aperiatur Ecclesiæ, ut exclusis excommunicatis, divina ibi officia celebrentur: sic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut castro, vel villa una tantum Ecclesiæ ejusdem Ordinis fratribus semel, ut dictum est, aperiatur in anno; quia licet pluraliter dictum est, quod in eorum jocundo adventu Ecclesiæ aperiatur; non tamen ad Ecclesias ejusdem loci, quas visitarent, sed prædictorum conjunctim referendus est intellectus: ne si hoc modo singulas eisdem loci visitarent Ecclesias, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quicquam sibi præsumpserint usurpasse, sub jaceant disciplina.

NOTÆ.

1. a **Eodem.** Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 7. & textus hic reperitur in ipso Concilio Lateran. celebrato sub Innocentio III. can. 57.
2. b **Amittere.** Cap. ubi ista 7. 74. dist. cap. privilegium 63. 11. quest. 3. l. qui sine 38. ff. de negot. gest. quia prætextu privilegiorum aliena usurpare absonum est, l. 2. Cod. de privil. schol. Auth. de mandat. Princip. §. delinquentes, cap. Abbates 25. de v. s. Illustrant Belluga in specul. Princip. rubric. 35. num. 12. Carolus Tapia in l. final. C. de conscri. Princip. cap. 7. part. 2. num. 1. Martinus Magerus in advocat. armata, cap. 16. à num. 637. Altamiran. in rubric. de filiis offic. cap. 4. num. 45. non tamen ipso jure per

abusum amittitur privilegium, sed sequutà sententiã: quo modo textum hunc, & in cap. cum explantare, hoc tit. ibi: Privilegium omnino meretur amittere, qui permisa sibi abutitur libertate: & D. Augustin. serm. 247. de tempore, ibi: Iudicio legum jure ab obtenta dignitate dejecti, qui privilegio sibi concessio abutitur, exponit Bruno Challaing. de privil. regul. tract. 2. cap. 5. propos. 3. & Gibal. tom. 2. scient. can. lib. 7. cap. 9. quest. 4.

c **Excommunicati.** Qui arcendi sunt à sepultura ecclesiastica, juxta tradita in cap. sacris de sepultur.

d **Fratribus.** De quibus egi in cap. 3. §. de confratribus, hoc tit. & credo Patres Concilij Lateran. respexisse in præsentì canone ad eos confratres Ordinis Hierosolymitani.

CAPVT XXV.

Idem a in eodem.

Quod nonnullis est religionis indultum, in favorem Pontificalis officii ad Episcopos extensum concedimus, ut cum commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis, & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis, suppressâ voce non pulsatis campanis, divina officia celebrare: nisi ipsum hoc illis expressè fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium protrahentes.

NOTÆ.

1. a **Eodem.** Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 8. & reperitur textus hic in ipso Concilio Lateran. part. 58. In præsentì

id privilegio conceditur Episcopis, quod hodie jure communi omnibus competit, ex cap. finali, de sent. excom. in 6. ut dicemus in c. quod in te de pen. & remiss. ubi commentarium de interdicto, & ejus effectibus dabimus.

CAPVT XXVI.

Honorius III. *Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum diocesis monasteria, & Prioratus Duniacensis monasterio subiecta consistunt.*

Quantò amplius. *Et infra.* Sanè dilecti filii Abbas, & conventus Duniacensis gravem nobis querimoniam obtulerunt, quòd quidam vestrum, & vestrorum officiales, cum in eos, & sui Ordinis monachos non possint excommunicationis, & interdicti proferre sententias, eo quod super hoc Apostolica Sedis privilegiis sint muniti, in eos qui molunt in molendinis, vel coquant in furnis eorum, quique vendendo, seu emendo, aut alias eis communicant, sententias proferunt memoratas, & sic Apostolicorum privilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba fervantes, dicti Ordinis monachos quodam modo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt

dem armata manu militum ea die procederet. Notavit Ioannes Vossius de vitis sermonum lib. 4. cap. 8. & in append. Vnde in presenti forisfacta accipiuntur pro delictis.

d. Fuerint deprehensi.) Quo casu clerici in ministeriis ordinibus constituti non sunt per Ecclesiam defendendi, ut probavi in cap. 8.

CAPUT XXVIII.

a Idem.

Super specula. Et infra: Sanè licet sancta Ecclesia legum secularium non respuat famulatum, quæ satis aequitatis, & iustitiæ vestigia imitantur: quia tamen in Francia, & nonnullis provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt rarè ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri, ut plenius sacra paginæ insistantur, & discipuli Elisei liberius juxta fluentia plenissima resideant ad columbæ, dum in januis scalas non invenerint, ad quas divaricare valeant pedes suos: firmiter d. interdicimus, ne Parisiis, & in civitatibus, seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire jus civile præsumat: & qui contra fecerit, non solum à causarum patrocinii interim excludatur, verum etiam per Episcopum loci, appellatione postpositâ, excommunicationis vinculo innodetur.

NOTÆ.

1. a Idem.) Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 3. in cuius scholiis refert Cironius in vulgata editione legi, Capitulo Parisiensi, & ceteris Prælatiis Parisiis constitutis. Vnde cognoscitur ita etiam legendum esse in cap. Super specula, ne clerici, vel monachi, ubi extat alia pars huius constitutionis. Non tamen assentio perdocto viro Innocentio Cironio, qui in eo textu affirmavit, etiam ad hanc constitutionem spectare textum in cap. Super specula, de magistris; nam constitutio illa missa est Patriarchæ Antiocheno, & ejus suffraganeis; unde non potest textus hic referri ad illam constitutionem. Deinde quia in presenti & in dict. cap. Super, ne clerici, vel monachi, specialiter agitur de studio legali in Academia Parisiensi in hibendo, & ne jus Cæsareum in ea profiteretur, ac doceretur, ex ratione in presenti textu assignata, & alia, quam adduxi in dict. cap. Super specula. Unde etiam deducitur constitutionem hanc localem esse, videlicet pro Academia Parisiensi: quod novum non est in jure, ut patet ex dict. cap. quod clericis, de foro compet. cap. 1. de locato, l. 1. §. ult. ff. de censib. notavit Anguianus lib. 2. de legibus, cap. 3. num. 104.

b Famulatum.) Ut probavi in cap. 1. de novi oper. nunt.

2. c Non utuntur.) Jus civile Romanorum plerumque prohibitum in iudiciis, tam apud Gallos, quam apud Hispanos legimus: primis enim temporibus certum est, Gallos jure Romanorum usos fuisse; unde Agathias de rebus Justin. ait, Francos Romanas leges in contractibus & matrimoniiis servare: & constat ex Capitularibus Caroli Calvi apud Pisas cap. 34. ibi: *Salva constitutione legis Romane in eis, qui secundum illam vivunt.* Ex Concil. Turon. can. 20. ibi: *Quia etiam lex Romana constituit, ut quicumque Deo sacratam virginem, vel viduam sortasse rapuerit, si postea eis de conjunctione convenerit, capitis sententiâ seriantur.* Quæ est lex 1. Cod. Theod. de rapto virgin. Postea tamen Carolus Magnus statuit lib. 6. cap. 269. ita: *Prohibemus ad negotiorum discussionem, usum legum* D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Romanarum, quæ quamvis eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent. Idem postea firmavit Lotharius lib. 3. legum Longob. cap. 37. Apud Wisigoth. etiam idem cautum fuit in l. 9. & 10. tit. 1. lib. 2. ibi: *Alienis legibus ad exercitium utilitatis imbui, & permittimus & optamus; ad negotiorum vero discussionem & resultamus, & prohibemus: quamvis enim eloquiis polleant, difficultatibus hærent, unde nolumus, sive Romanis legibus, sive aliis constitutionibus à modo amplius convexari.* Prosequitur juris Romani naufragium & restitutionem apud Francos, & Gothos Cironius in presenti, & lib. 5. obs. cap. 4. & 5. Apud nos expressè cautum est, ne in iudiciis leges civiles ad causarum decisionem expendantur, l. 1 §. tit. 1. partit. 1. l. 6. tit. 4. partit. 3. ibi: *Por las leyes de este libro, y no por otras.* Et l. 1. Tauri docuerunt Gregorius Lopez, & Burgos de Paz, & Gomez in eisdem legibus. P. Suarez de legibus lib. 3. c. 8. Osualdus ad Donel. lib. 1. cap. 16. litera E. Unde rectè Honorius III. in presenti refert, leges Romanorum apud Francos in usu non esse.

d interdicimus.) Quam juris civilis professionem Pontificem in presenti prohibere potuisse, ait Cironius hic, quia Academiae sunt ecclesiasticæ; & ideo in eis plenam dispositionem Pontifex habet. Sed contrarium, immò Academias à Principibus secularibus constructas, & à Pontifice confirmatas, pro secularibus haberi, latè probarunt D. Alphonsus de Escobar collega noster in tract. de Pontific. jurisdic. cap. 21. Pater Mendo de jure academico, quest. 8. & ipsam Academiam Parisiensem mixtam esse, secularem, & ecclesiasticam, probat Chopinus de Domino Regis Francie, lib. 3. tit. 27. num. 3. Quare aliâ validiori ratione credo Honorium III. potuisse in Academia Parisiensi prohibere studium juris civilis, videlicet, quia cum ob ejus professionem negligeretur, & omitteretur sacre Theologiæ studium, ut retuli in cap. 5. ne clerici vel monachi; ideo juxta potestatem, quam habet in temporalibus in ordine ad supernaturalia, ut facilius floreret studium sacre Theologiæ, rectè potuit Honorius pro tunc interdiceret juris Cæsarei professionem.

XX

CAPUT

CAPVT XXIX.

Idem Episcopo^a Bajocensi.

QVia intentionis nostræ non extitit, ut per innovationem, quam fecimus cujusdam scripti monasterii sancti Stephani^b Cadom. quod in Registro bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri reperimus contineri, derogaretur juri Ecclesiæ Bajocensis, cum innovatio nec jus^c novum conferat, nec etiam tollat vetus: totum in eo statu esse volumus, in quo tempore innovationis impetratæ dignoscitur extitisse. Cæterum per hoc nullum intendimus juri aliàs eidem monasterio competenti præjudicium generari.

NOTÆ.

1. ^a **Bajocensi.** Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 5. id est Roberto de Ablage, qui feliciter certavit cum hæreticis Albigenfibus. De diocesi Bajocensi nonnulla adduxi in cap. 18. de offic. Ordin.
2. ^b **Cadomensis.** Cadomense hoc monasterium est Normandiæ, in diocesi Bajocensi, Ordinis Divi Benedicti; quod construxit, & ample dotavit Guillelmus Rex Angliæ, atque Romani Pontifices magnis privilegiis decorarunt, exemptione illi concessâ à Bajocensi jurisdictione, ut refert

Yepes tom. 6. chron. D. Benedicti, cent. 6. anno 1020. cap. 2. per tot.

^c **Novum.** Probavi suprâ in cap... & confirmat omnino textus in cap. 2. de fide instrum. in 5. compil. ubi idem Honorius ita statuit: Licet olim innovaverimus privilegium felicitis memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri Ecclesiæ S. Joannis Bisunt. concessum; præsentem tamen paginâ declaramus, quod nostræ intentionis non fuit, ut jus Ecclesiæ per hoc in aliquo laederetur, cum per innovationem hujusmodi non acquiratur jus novum, sed antiquum solummodo conservetur: unde præsentem litteras super hoc vobis in testimonium duximus concedendas.

CAPVT XXX.

Idem Episcopo^a Parisiensi.

Iⁿhis, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potius esset interpretatio faciendâ: unde mirari compellimur, quod cum fratribus^b Minoribus duxerimus indulgendum, ut ubicunque fuerint, sine parochialis juris præjudicio cum altari valeant viatico celebrare: quidam, sicut nuper fuit propositum coram nobis nimis strictè interpretando indulgentiam, nituntur asserere, quod per eam prædicti Fratres præter Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum assensum facere hoc non possint, propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cum autem, si res taliter se haberet, nihil eis conferret indulgentia memorata, sine qua id Episcopis, & aliis Prælatibus annuentibus liceret eidem; fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujusmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, qui à jure parochiali proveniunt, se prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostrâ non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostrâ videantur in hoc gratiam consequuti.

NOTÆ.

1. ^a **Parisiensi.** Ita legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 6. De Ecclesia Parisiensi nonnulla adduxi, in cap. final. de constit.
2. ^b **Minoribus.** Et Prædicatoribus, addit Gregorius IX. in præsentem; nam in hoc textu tantum Honorium agere de privilegio concessio Fratribus Minoribus, constat ex c. 7. de celebrat. Missar. in 5. compil. ubi idem Honorius eidem Episcopo Parisiensi ita scribit. Non debent Ecclesiæ Prælati, quibus religionem plantare convenit & fovere, viros religiosos persequi, & eis super his maxime, quæ ad divinum cultum pertinent, obviare. Accepimus sanè, conquerentibus dilectis filiis Ministris Ordinis Fratrum Minorum Franciæ, quod quidam Prælatorum regionis illius occasione privilegiorum, quæ se habere proponunt, aliqui mero suo dumtaxat arbitrio prædictis Fratribus inbibere præsumunt, ne ubi degunt, valeant secundum

nostram indulgentiam cum altari viatico solennia celebrare Missarum, in eos, & hospites suos in majorem Apostolicæ Sedis injuriam, & contemptum excommunicationis sententiam promulgantes. Quamquam præfati Fratres ab omni jure parochiali contineant manus suas. Quia verò debemus religiosas fovere personas, & maxime dicti Ordinis Fratres, qui relictis omnibus Christum sequuntur, pro eo esse pauperes, & in paupertate vivere continua eligentes, ac decet nos Apostolicas indulgentias observare: ita quatenus auctoritate nostrâ inbibere generaliter Prælatibus regionis ejusdem, ne de cætero sic excommunicent dictos Fratres & hospites eorundem, nec aliquo modo impediunt, quominus Fratres ipsi dicta indulgentia possint uti: quia non impunè deinceps talia facerent, cum non possimus injurias pauperum Christi, & servorum eius inquietudinem æquanimiter sustinere.

Commentarium hujus textus in cap. 1. de cons. secr. Eccles. dedimus.

CAPUT

CAPVT XXXI.

Gregorius IX. *Maioris Ecclesie, & a Christianitatis Decano,*
Archid. Lincon.

DVdum inter Priorem & Conventum de ^b Butele ex parte una; & Priorissam, & moniales de Campesse, ex alia, super decimis lite mota. *Et infra:* De consilio fratrum nostrorum decernimus juri predictorum Prioris, & Conventus super decimis ^c novalium, in quarum erant possessione tempore illo, quo indulgentia Apostolica impetrata fuerunt a parte altera de decimis novalium non solvendis, non debere per eas non facientes de hoc aliquam mentionem prejudicium generari.

NOTÆ.

^a *Christianitatis Decano.*) De hoc Decano Lincon. Ecclesie egi supra in cap. cum capella.

^b *Butele.*) De *Busellia*, legendum est, ut habetur in cap. dilecta 10. de except. ubi mentio fit hujus controversie, & ibi notavi ex Pennoto, monasteria, de quibus in presenti, esse in diocesi Linconensi Angliæ: cum enim Prior, & Canonici de *Busellia* peterent a monialibus de *Campesse* decimas de prædiis novalibus; illa autem intenderent similes decimas se non debere, causa disceptata fuit coram iudicibus delegatis, de quibus in dict. cap. dilecta. Sed interim moniales novum impetrarunt privilegium, ut de prædiis novalibus decimas non persolverent; cujus virtute intenderant, decimas jam solvi consuetas monachis de prædiis novalibus tempore hujus privilegii, præstare ipsis non teneri. Consultus Gregorius IX. decrevit, privilegium hoc nullam faciens mentionem de decimis ex novalibus jam perceptis a monachis, non prodesse monialibus, nec præjudicare Priori & monachis, quominus decimas de novalibus jam possessas exigere possent.

^c *Novalium.*) Novale jure civili dicitur terra præcisâ, quæ anno præterito cessavit, l. silva, §. penult. ff. de v. s. vel silva, quæ arboribus exstirpatis ad cultum redigitur, l. ult. §. pen. ff. de termino moto. Faciunt D. Isidorus lib. 1. §. etymol. cap. 13. ibi: *Novalis ager est primùm proficissus, sive qui alternis annis vacat, novandarum sibi virium causa.* Varro lib. 4. de lingua Latina, ibi: *Ager rescibilis, qui restituitur, ac rescitur quotannis, contra qui intermittitur, à novando novalis.* In hac decimarum tractatione novalem decimis agrum nunc primùm præcisum, & de novo ad cultum redactum; de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, cap. 1. cap. qui per novale 21. de v. s. docuerunt Petrus Gregorius lib. 1. syntag. cap. 2. num. 2. & lib. 1. partit. tit. 2. §. cap. 3. Moneta de decimis cap. 4. q. 3. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 2. regest. 14. epist. 61. Harum novalium mentio fit in cap. finali, ut lite pendente, cap. ex parte 10. c. ad audientiam 12. cap. quoniam 13. cap. tua 25. §. finali, cap. ex parte 27. cap. cum contingat 29. de decimis, cap. 2. in princip. & §. 1. eod. tit. lib. 6. c. consultationi 32. hoc tit. Si enim in presenti tractatu novale acciperetur pro ut sumitur in jure civili, parochis magnum prejudicium sequeretur ex privilegio concessio regularibus non solvendi decimas de prædiis novalibus: quare novale semper accipitur pro prædio noviter culto, & cujus cultura non extat memoria.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, privilegium non solvendi decimas ex prædiis novalibus non extendi ad novalia, in quibus jam alter jus percipiendi decimas habebat, nisi eorum expressa mentio fiat. Quod firmari potest ex cap. cum ordinem 6. de rescript. cap. final. ut lite pendente, cap. causam 19. junctâ Glosâ verbo Noviter, de testibus, cap. cum olim 18. cap. veniens 19. de prescript. cap. cum olim 12. de re judic. cap. cum nostris 6. de concess. præb. cap. ex parte 27. de decimis. Et fulcitur eâ maximâ ratione, nam privilegium juri alterius nocens debet strictè interpretari, ut quantum minus præjudicium afferat, cap. cum olim 6. cap. dilectus 8. de consuet. dict. cap. tua, §. final. de decim. c. statuto 2. in princip. eod. tit. in 6. & cum tale privilegium posset intelligi de terris, quæ nondum sunt redactæ ad culturam, ex quibus nullum, vel modicum sequitur præjudicium, dicto cap. quid per novale. de v. s. non debet extendi ad prædia jam redacta ad culturam tempore impetrati privilegii, in quibus tertius jus exigendi decimas habebat, ne ipsi irrogetur præjudicium præter Pontificis intentionem, qui in concessione privilegii non censetur voluisse detrudere juri alterius, cap. super eo, de offic. deleg. cap. ex tuarum 5. de auctorit. & usu pallii, cap. in his, hoc tit. l. 2. §. merito, ff. ne quid in loco publico, l. impuberum, ff. de administr. tut. l. nec ausus, Cod. de emancipat. liber. quia dum in tali privilegio non fit mentio presentium novalium, creditur privilegium per subreptionem impetratum, cap. cum nostris, de concess. præb. & subreptio vitiat privilegia, sicut alia rescripta, cap. quod super, de fide instrum. cap. dudum, de præb. lib. 6. cap. 1. & finali, de fil. presbyt. eod. lib. l. 1. de natalibus restituendis, l. etsi non cognitio, Cod. si contra jus: quare secundum privilegium, si primi mentionem non faciat, illud non revocat, cap. cum ordinem, de rescript. cap. cum olim, cap. veniens, de prescript. cap. ex parte, de capellis monach. l. Decurionibus, Cod. de silentiariis, lib. 12. l. prædia, Cod. de locat. prædior. civit. eod. lib. creditur enim circumventus Princeps, neque eum habere voluntatem illud revocandi, cap. cum olim, ibi: *Sicut credimus, de re judicata.* Docent Menochius lib. 6. de presumpt. presump. 40. à num. 2. Castillo lib. 6. contrav. cap. 36. num. 7. Unde in presenti casu cum Prior, & Canonici de *Busellia* ratione privilegii decimas perciperent etiam de prædiis novalibus à monialibus jam ex cultis, privilegium impetratum ab ipsis monialibus non solvendi decimas ex novalibus non affert prejudicium monachis, nec eorum privilegio derogat. Accedit nam in presenti casu his pen-

X x 2

debat

dabat inter ipsos super decimis; sed privilegium impetratum lite pendente, ejusque non facta mentione, nullum est, *cap. final. ut lit. pendente. cap. causam, quæ de restibus. Cenedus ad Decret. collect. 53.* Ergo ex hoc etiam capite privilegium in præfenti à monialibus impetratum nullum erat.

4.

Nec obstabit si dicas privilegium exemptionis à solutione decimarum, extendi etiam ad prædia, in quibus alii percipiebant decimas tempore concessi privilegii, etsi ulla mentio non fiat talis possessionis; quia decimæ semper possidentur ab aliquo, saltem ab Ecclesia parochiali, cui de jure communi debentur, *cap. questi, cap. statuimus, cap. in sacris 16. quest. 1. cap. ab Apostolica, cap. cum contingat, cap. cum in tua, cap. quoniam, de decimis, ubi probavi, cap. final. de Parochiis, cap. penult. de restit. spol. lib. 6.* Et cum Pontifex concedit talem exemptionem, nullam facit mentionem possessionis parochialis; immò & tale privilegium extenditur ad prædia postea exculta, *cap. ex parte, el. 1. cap. ad audientiam, de decimis, de quibus Pon-*

tifex non cogitavit; ergo quia privilegium extenditur cum tertii præjudicio. Nam respondendum est, in præfenti textu agi de privilegio exemptionis à decimis novalium, quod non extenditur ad decimas jam possessas, quia non censetur novales ex quo prædia redacta fuerunt ad culturam; licet prædia ipsa semper novalia dicantur, *cap. consultationi 32. hoc tit.* At verò cum privilegium generaliter concedatur non solvendi decimas ex agris jam cultis, creditur Pontifici satis notam fuisse possessionem, quam parochi jure communi habent; & sic per consequens Pontificem illi velle derogare: quare si jus exigendi similes decimas, non ordinarium, sed extraordinarium virtute privilegii, consuetudinis, aut præscriptionis alicui competat, non censetur derogatum, quia non præsumitur in dubio Pontificem revocare jus, quod ignorat, *cap. super eo, de offic. deleg. docet Covar. lib. 1. var. cap. 17. n. 14.* annectenda sunt huic commentario omnia, quæ adduxi in *cap. final. ut lit. pendente.*

CAPUT XXXII.

a Idem

Quidam (sicut asseris) in privilegiatorum fraternitate recepti, nolunt tibi de jure Episcopalis respondere. Verum quamdiu hujusmodi fratres moram in domibus suis fecerint, eos compellere poteris ad dicta jura tibi integrè persolvenda.

NOTÆ.

a Idem.) Gregorius IX. videlicet, cujus epistolis cum careamus, cognoscere non pos-

sumus, cui Prælati in præfenti referbat; quod verò in præfenti docet, exposui in *cap. 3. §. de confratribus, hoc tit.*

CAPUT XXIII.

Idem a Arelaten. Capitulo.

Consultationi vestræ breviter respondemus, quod terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debet, quoad immunitatem de non solvendis decimis, novalium jure censerit. Cum alias nonnunquam contingeret indulgentiam de novalibus plus eis dispendii, quam utilitatis adferre.

NOTÆ.

r. a Arelaten.) De Arelaten. diocesi egi in *cap. 16. de offic. deleg. & quid novale dicitur, exposui supra proximo commentario. In præfenti tantum docet Gregorius, prædium novale semper novale manere, id est, quod si alicui concedatur exemptio à solutione decimarum de prædiis novalibus, & ipse prædia noviter propriis manibus excolat, nunquam de tali prædio decimas solvere teneatur; nam privilegium à Principe*

concessum decet esse mansurum, *cap. privilegia 25. quest. 2. regulà Decret. de regul. jur. lib. 6.* aliàs si primo anno tantum prædium novale diceretur, novale privilegium potius damnium, quam commodum asferret; nam qui prædium novale magnis sumptibus ad culturam redegit, sequentibus annis teneretur ex eo decimas persolvere; unde ut privilegium juxta naturam suam commodum asferat, rectè docet Gregorius in præfenti, prædium novale semper novale manere.